APOLOGETICVM
AD GERMANOS, PRO RELIGIONIS CATHOLICAE PACE, ATQVE SOLIDA ECCLESIARVM IN VERO CHRISTI IESV EVANGELIO CONCORDIA:

CVI INSERTA EST RESPONSIO AD CODICEM D. FERDINANDO A. pro Confeſsione Auguſtana, & Germanico ſchiſmate An. 62. Francfordiæ ab Illuſtriſsimis Electoribus quibuſdam, ſummisque Rom. Imperij Ordinibus oblatum; & An. 65. ab Anonymis aliquot delectis Confeſsioniſtarum patronis defenſum.

In præfat. ad C. A. MAXIMILIANVM *eſt certa perinde ac facillima ſimul & indubia ſarciendæ inter Catholicos atque Proteſtantes de dogmatibus aliquot pauculis nondum prorſus conciliatis concordiæ ratio.*

TOM. II. *præfat. ad omnes Germaniarum Epiſcopos agitur de neceſſaria, facillimáque Eccleſiaſticorum in moribus reformatione; quæ vna eſt concordiæ de fide vna verè Euangelica conciliandæ, tollendiq́ue ſchiſmatis Germanici remora.*

Auctore Reuerendiſſ. D. Wilhel. Damaſi Lindano, Dordraceno, S. D. Ec. Ruremond. Epiſcopo.

I. COR. XIIII. An à vobis verbum Dei proceſsit? an in vos ſolos peruenit?
IOHAN. I. Quod audiſtis ab initio, hoc in vobis permaneat.
GALAT. I. Si quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Quæ amplius hoc ex opere ſint pijs Lectoribus petenda, verſum loquetur folium.



ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXVIII.

D. CYPRIANVS DE VNITATE ECCLESIAE.

Non potest DEVM *habere* PATREM, *qui Catholicam* CHRISTI *Ecclesiam non habet* MATREM.

D. AMBROSIVS DE POENITEN. LIB. I. CAP. VI.

Non habent PETRI *hæreditatẽ, qui* PETRI SEDEM *non habent, quam impia diuisione discerpunt.*

Reperias & hic C. Lector, præter fidei Christianæ, piarumque Ceremoniarum apud Catholicos solemnium Apologeticum, plæraque S. Concilij Trident. Decreta, contra illos Anonymos Confessionistarum patronos, & MARTINI Kemnicij Examen, futilesque aliorum aliquot pacificatorum censuras defensa.

Ad hæc non paucos SS. originum fontes erutos atque apertos, iustamque Panopliæ nostræ Euangelicæ propugnationem, contra Zoilorum morsus, suis obiter locis inspersam.

IN APOLOGETICVM

RELIGIONIS CATHOLICAE.

pro vera GERMANIAE cum ipso DEI verbo atque germano EVANGELIO, veraque Christi IESV Ecclesia Catholica & Apostolica pace atque concordia;

PRAEFATIO.

Cui intexta est certa perinde atque facillima dissidij istius Germanici conciliandi, sacrilegique SCHISMATIS componendi ratio.

AD SERENIS. ET A DEO CORONATVM MAXIMILIANVM AVSTRIACVM II. CAESAR. AVGVSTVM.



VOD in Republic. Cæsar A. Maximiliane, vsu venire videmus, vt certus & ineuitabilis à bello ciuili atque intestino impendeat interitus, nisi tẽpestiuè obuiam eatur, quantumque fieri queat sopiatur: hoc in domo Dei, quæ Catholica est Christi Iesu Ecclesia, per Germanias certo certius videtur euenturum, nisi idoneum simul ac præsentaneum grassantibus immaniter, in diesque acriùs inualescentibus istis Religionis dissidijs prima quaque occasione remedium adhibeatur.

Vt Reipublic. à bello intestino periculũ est: ita Religioni, Imperioque Ro. ab hæresibus certissimum impẽdet exitium.

Cuius rei sanè tristissimæ consideratio non parum tetrica, haud infrequenter huic animo recursitans, immane, quantopere nos subinde habeat solicitos, quantumque discruciet, auget hunc dolorem periculi illius minimè omnium contemnendi publica quasi negligentia, & incuria quædam oscitabunda propemodum atque supina: quòd pauci admodum appareant, hoc potiss. ex hominum Ecclesiasticorum ordine, qui ex animo teterrimum istud Ecclesiarum incendium, funestumq; animorũ dissidium, quo Germania, patria dulcissima tantum non dissipatur, immanissiméque dilaniatur, studeant componere, aut ratione legitima conciliare.

Propositio atq; huius Apologetici scopus.

Hanc autem rem, hiſce licèt humeris imparem, concordiæ pluſquam neceſſariæ ſtudio nos quidem tentare conabamur, euentum Deo Opt. Max. permittẽtes; modò pius in patriam noſter pijs probetur affectus. ad quod ſemel ac certò non minùs quàm facilè conficiẽdum, varias, easque veterum PP. ex monumentis hauſtas rationes, & priorum ætatum exemplis illuſtratas, adeoque confirmatas in medium adduximus.

Non quia mihi conſilium atque ingenium meum amplius æquo probaretur, ſed quia de communi omnium periculo, vbi formidandum omnibus impendet naufragium, vectoris nullius, quamuis inſulſi, conſilium ſolet reiici aut explodi.

Apud animum enim meum ſubinde reputans priſcorum ſæculorum exempla, quæ florentiſſ. Imperijs certum ex diſcordia, & Chriſtianæ in primis Religionis diſſidio attulêre excidium, facere non potui, quin extinguendo funeſto iſti incendio piam hanc naufraganti, immo conflagranti patriæ dulciſſ. nauarem operam.

Quod dum candido atque pio facimus in patriam atque in Catholicam adeò Chriſti Do. Eccleſiam animo, non ſit nobis dubium, quin C. T. Maieſtas in optimam accipiet partem, quod ſtudio pacis publicæ, de qua erit Deo reddenda ratio; et concordiæ Eccleſiaſticæ (quam C. T. Maieſtati ſingulariter cordi eſſe ſupra ſeculi iſtius pereũtis ſuáque mole ruentis negocia ex animo peculiariter deditiſſimo gratulamur) hac pro virili in medium adferre ſatagebamus.

Singulare C. Maxi. A. ſtudiũ in Eccleſiarum concordiã: quã vel ſuo ſanguine redimat, vti cum lachrymis nõ rarò ſuis teſtatum facit.

Verùm enimverò funeſtum illum bellorum ciuilium finem quidnam opus fuerit aut indiciis coniectare, aut rationibus confirmare, aut exemplis illuſtrare; cùm domeſticas noſtratum rerum calamitates aſſiduas nõ niſi domeſticis noſtris inteſtiniſque diſsidiis debeamus referre acceptas? Quid enim

Quęnam imperia perierint ſuis diſſidiis.

Syriam

Syriam, Aegyptum, Asiam infestissimis nostri nominis Christiani hostibus Turcis prodidit? Quid Graeciam? quid Trãssyluaniam? quid Hungariam vestram eisdem tradidit? an non fratrum gratia rara, & intestina discordia; quae sub auxilij specie exoticum atque peregrinum implorarit praesidium? Sebast. Munst. Cosmograph. fol. 297.

Sic olim Ludouicus 4. Hungaris resistere non potuit, quũ principes Germaniae domesticis dissidiis laborarent. Nobilissimum verò vestrae Augustrasiae regnum quid, obsecro, perdidit aliud, quàm bellum intestinum? Varnensem illam cladem non tam hostium virtuti, quàm temerariae Christianorũ debemus discordiae. Dum enim quisque vincere properat, & victoriae abblandientis ardore fascinatus alius alium audire, moremque gerere stolidè recusat, omnes vnà victi sunt, & occidione occisi. Vide Lazium Com. Austrasiae fol. 78. An. 1444. Ad oram Pon. Eux. iuxta Varnam.

An non & Africam totam, totamque penè Hispaniam, digladiantibus inter se Regibus Christianis, Sarraceni occuparunt? Ut enim externus calor, aut frigus humani corporis tẽperiem non grauiter adeò offendat, si tempestiuum & idoneum adhibeatur fomentum; contrà si in viscera semel immodicè alterutrum irruat, indubiae noxae fuerit, certòque exitio: Ita donec bella externa hanc Dei domum foris oppugnant, exagitant, vexant, adeò non euertunt, vt stabiliant magis. fundata enim super illam firmam petram moueri nesciam, Christum suae Ecclesiae praesidem & seruatorem, non ad saeuas ventorum procellas expauescit, non ad pluuiarum aut infestationum nimbos expallescit, non ad dira tempestatum, aut persequutionum flagella exhorrescit, nedum sanguinarijs Tyrannorum imbribus labascit, aut cladibus. An. Do. 700. Matth. 18. Matth. 7.

Caeterùm vbi Dei Opt. permissu contigerit intra ipsius Dei domus parietes intestina gliscere opinionũ bella, atrocissimas

nouorum dogmatum increbrescere conflictationes, funestum deniq; doctrinarum dissentanearum exardescere tumultum, cladesq; anathematismorum grassari mutuas, iam sanè indubium ei certa ex ruina impendet excidium.

Omne enim regnũ in se diuisum, ait ille Propheta, idemq; Dei filius fallere nescius, desolabitur, desolatum ruet, collapsum delebitur. Nam sua tandem mole ruat, semelque occidat necesse est, quod discordia labefactauit, dissensio dissoluit, dissidium euertit. Quam sanè cladem teterrimam perspicuum est animaduertere in iis omnibus factionibus, quæ ab vna hac Dei domo Catholica Christi Ecclesia sese impiè iuxta atque sacrilegè iam olim diuulsere, quocunque tandem pietatis prætextu coïerint aduersus Dominũ & aduersus Christum eius: siue Arriani, Donatistæ, Pneumatomachi: siue Manichæi, Pelagiani & Iconomachi. illi Orientem vastarunt atque meridiem; hi Occidentem perdiderunt atque pridem euerterunt. Hunc in modum istæ, aliæque innumeræ animorum simul & imperiorum, non solum Religionis pestes se quidem ipsas suo perdidere dissidio, vt vix illarum vsquam supersit vestigium. Cæterùm vbi Deo visum est hæc impia suæ Religionis schismata iustißimis pœnis vindicare, plerumq; generatim sua plagarum salutarium flagella super iustos & iniustos effundit.

Quænam Imperia perierint Religionis discordia.

Quod non solum diuina nos docent oracula typo veteris populi super vnius Dei cultu dissentientis: quem ideo in Babylonem vsque diuina expulit iustitia, licet inter sceleratos, nefarios, atque sacrilegos plurimi essent viri pij, veræq; Religionis cultores, innocentiæ ac iusticiæ custodes rigidi, adeóq; spiritu Dei afflati Prophetæ: sed tota etiam loquitur Africa, Donatistarum sectis dissecta, & vicina nobis, heu nimium

Græ-

Græcia, vario priscorum hæresiarcharũ fermento dirũ in modũ vt cõtaminata, ita deploratè insanis opinionibus dissipata.

Quæ exempla magnum sanè momentum apud pios omnes Dei Opt. Max. cultores vt habeant, æquum fuerit præsertim apud eos, quibus Respublica est diuinitus aut ad gubernandum tradita, aut ad erudiendum credita. Quod enim florentissimis illis regnis, opulentissimis prouincijs, populosissimis Imperiis ob iustam numinis irã ex impiarum opinionum pugnis & temeratæ vnius fidei dissidijs aduersus fratres nostros longè calamitosissimos meritò conceptam accidisse, in confesso est: idem proculdubio & nobis euenturum nihil est ambigendum, nisi pax redierit, atque animorum in Euangelicæ fidei dogmatibus concordia per Germanias fuerit quàm citissimè instaurata.

Quàm ingens igitur & acerbus, multoque acerrimus sit ille piorum omnium dolor atque luctus, Cæsar Auguste, qui ex funestissimo Germaniæ nostræ patriæ dulcissimæ in fide Christi dissidio in dies acerbior gliscens, pios illa pericula, certoque venientia, flagella eminus conspicatos, tantum non enecat, nullus cui vel vnciola Christianæ pietatis est reliqua, non videt, quo compuncti, misereq; discruciati cum Dauide subinde exclamare coguntur, Tu exurgens, Domine, misereberis Syon, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus! populum enim tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt! Quasi in sylua lignorum securibus exciderũt ianuas eius, in securi & ascia deiecerunt eam. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui! dixerunt simul, Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra! Adhæc super populum tuum malignauerũt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos, dicentes: Venite

Piorum threni nunc sunt Prophetarum similes ob impedentes ex Germaniæ dissidio publicas calamitates.

Psal. 93. & 73. & 82.

nite disperdamus eos de terra, & non memoretur nomen Israel vltra! Quibus threnis si vnquam locus fuit, hac longè infelicissima tempestate nostra nunc vel in primis est. A Christianæ namque Religionis incunabulis haud tristiorem, immo truculentiorem equidem arbitror grassatam esse Apostolicæ Ecclesiæ diuulsionem, aut funestiorem gregis Christi dispersionem, quam nunc misera videt, atque perdolenter, ne dicam exitialiter, experitur nostra Germania.

Collatio calamitatis nostræ ex fidei dissidiis cũ aliorum temporum schismatibus.

Si quidem alia olim hæresiarcharum schismata, infestæque Antichristorum phalãges propemodum omnes veram vnam illam Christi Domini sponsam Catholicam Dei Ecclesiã vno ferè, aut altero fidei oppugnabant capite: nunc qui vel sanissimi omnium videri volunt, capitibus doctrinæ minimum quadraginta à reliquo dissentiunt Christiano grege: quemadmodum Legato Regis Daniæ disertè profitebatur Carolus Vendomius, frustra Lutheranos Caluinistis, anno 60. conciliare conatus.

Commentario de Religionis statu per Galliã. fol. 159.

Neque sanè piis miranda est tam acris et varia hostium Ecclesiæ Catholicæ aduersus Do. & Christum eius pugna, veraque theomachia capitibus minimum (quod ipsi profitentur) quadraginta horribili admodum acie instructa. Nunc enim tempestatis si quis sibi persuadeat illos venisse miseris mortalibus dies, Spiritu Dei, Apocal. 20. Christianis prædictos, quibus draco ille magnus, serpens antiquus, qui est diabolus & Sathanas, olim ad annos mille per Dei Angelum in abysso ligatus paruo tempore solueretur, non vsque adeò fortassis absurdè senserit.

Vnde sit prognata isthæc dissidiorum fidei hydra.

Apocal. 20.

Qui namque teterrimos nostri sæculi repullulantes passim errores secum tacitus considerarit, agnoscet perspicuè omnia serpentis illius antiqui venenata sibila (vt hic Atheïstas taceam

ceā Libertinos aliosque Epicuri de grege porcos) pridem incesto Arrij, Nestorij, Eutichetis, Macedonij, Aërij, adeoque insani Manichæi ore in Deum, in Christum, eiusque Ecclesiam, in Sacra omnia, sanctosque effusa, nunc Euangelij noui prætextu reuiuiscere, inualescere atq; ab orco in orbem impiè simul & perniciosè reuocatas incredibili animarum clade grassari.

Priscas hæreses omnes damnatiss. nunc Euangelij prætextu à Sathana in Germaniam ab orco reuocatas.

Nam incōparabili impetu simul et infinito numero ad Barbaricū aut potius Tragicū vnius Lutheri egregij Bellonæ antistitis boatum priscæ omnes hæreses insurrexère quasi coniurati ad classica venti, qui domum illam Dei Euangelicam in montibus Syon fundatam nouo quidem motu sed frustraneo, vti etiam olim, funditus conantur euertere. Quod si cui paradoxum, aut fidem superare videatur, consulat Dialogos nostros Dubitantij: item Ruevvardi nomine inscriptos. Videbit illic præclara omne genus perfidiæ plantaria nunc ex renouato Arrij per Caluinistas; Manichæi, Aerij & Iouiniani per Lutherum, aliosque veneno totum Christianum orbem lugendum in modum esse dirè contaminatum, vereque intoxicatum. Quod quia tā variis nunc agitur venenis mirificè contrariis, sesequè mutuò implacabiliter enecantibus, spem nobis parit bonam, haud diu istas animorum pestes iuxta Iohannis Apostoli prophetiam ad seducendas gentes, piosúe fallendos grassaturas. Sicut olim Ro. Imperium, regnante, aut potius in Gynæcijs delitiante, atq; in popinis helluante Gallieno nequiss. Imperatore, XXX. Tyranni inuasere; qui aut se ipsi, aut sese mutuo, aut sui prætoriani conficiebant, atque Aconitorum in modum sese ad hominis salutem enecantium omnes ferè intra quadriennium miserrimè perierunt: ita & nunc futurum ominari licet, quod acerbiora inter nostræ tem

Apocalyp. 20. Vnde omé colligatur non diu grassaturas Euāgelicorū pestes adeò multas & varias.

Trebell. Pollio.

Cuspinia. Iac. de Strada.

pestatis

peſtatis hæreticos gliſcere in dies videmus diſſidiorum implacabilium odia, plagasq́ue ſibi mutuò infligere immedicabiles. Verũ vt in præſentiarũ ſilentio tranſeamus priuata hoſtium Eccleſiæ Dei inter ſe diſſidia, quæ ſuis Principibus perſuadere connituntur vnum eſſe, aut ſummum alterum (quemadmodum ex Lutheranorum & Caluiniſtarum ſententia illic recitat idem ille ſuorum adulatorum præſtigiis miſerrimè faſcinatus dux Vendomius) nunc omiſſa Caluiniſtarum factione, quæ peſtis longè omnium teterrima nõ exiguis (prò dolor) in Germania augeſcit in dies & viribus, & viris, tantum de iis Confeſſionis Auguſtanæ profeſſorum agendum eſt diſſidiis componendis, quæ abhinc annis ferè 50. fanaticis quorundam nouatorum ſtudiis Ro. veſtro imperio ſunt inuecta.

Com. de Relig. ſtatu per Galliã.

Omiſſis Euãgelicorum inter ſe diſſidiis variis, hic tantũ agendum de ſarcienda Confeſſioniſtarũ ſiue proteſtantium cũ Catholicis concordia.

Hæc autem pernicioſa, certóque exitialia & internecina in vna Chriſti fide diſsidia cùm ſuperiori ferè triennio Illuſtriſsimi ſtatus Ro. Imperij & Confeſſionis Auguſtanæ Ordines D. M. Auguſto Ferdinando parenti tuo Francofordiæ profiteri, ſcriptóque ſchiſmatis ſui cauſſas offerre nõ erubuerint, ac deinde ipſorum delecti Concionatores, & Conſiliarij Politici magno nuper in vulgus edito volumine propugnare non dubitarint; nos Auguſtalis V. M. beneuolentia confiſi audebamus præclaras illas diſsidij Germanici cauſas in examen reuocare expendendas, piisq́ue Chriſtianæ concordiæ amatoribus, vnamq́ue Chriſti Domini Eccleſiam vna fide colentibus proponere diiudicandas.

Ann. 62.

Occaſio huius Apologetici ex ineptiſſima planeq́ue abſurdiſſima Germanici Schiſmatis excuſatione.

Codex granami nũ A. Ferdinando oblatus nomine Statuum Ro. Imperij An. 62. qui Latine prodiit An. 65. hoc apologetico examinatur.

Nihil enim veriti ſumus A. C. noſtræ fidei Chriſtianæ atque doctrinæ Orthodoxæ profeſsionem edere, defenſionem parare, omniáque conſilia pacificandæ, Chriſto propitio, Germaniæ noſtræ patriæ ſuauiſſ. experiri; quocunque tandem illi hanc infamẽt nomine, humanam, Monaſticam, Papiſticam,

Cur anonymis Confeſſioniſtarum Patronis reſponſum.

magi-

magicam, Idololatricam, Diabolicam. Huc enim me illud Christi Domini elogiũ inuitauit, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quid enim magis ex Christiani hominis nomine fuerit, quàm sua pro virili vbiq;, & inter omnes illam pacem conseruare, tueri, propugnare; addo & quærere, parare, atque conciliare, quam nobis cælitus allatam Christus Dominus voluit relinquere, immo testamẽti vice legare? Siquidem disertè mandat eam ceu certissimam cælestis suæ doctrinæ tesseram omnibus custodiẽdam sartam tectam, infractam, inuiolatam.

Istis quidem colloribus pingunt fidem Catholicam aduersarij toto suo præclaro illo scripto.

Proinde quò magis boni aut ciuis, aut magistratus officium cogitarem, hoc acrius, hoc ardentius ad extinguendum funestum isthuc patriæ dulcissimæ incendium accendebar. Si enim prudentissimus ille Solon tribu motum inter ærarios sanciuit referendum, qui orta ciuium seditione neutri parti sese adiungeret socium, ecquanam pœna censebimus illos dignos, qui flagrãti hoc teterrimo Religionis dissidio (quod nos ad vnum tandem omnes atque vniuersos absorbeat) sese ociosos præbent spectatores? Qui mihi hostem ferierit, inquit ille apud Ennium, ciuis erit Carthaginiensis.

Vide Diogen. Laertium de Solone.

Huc sanè magis me publici muneris ratio impulit, quo Deus Opt. nos immeritos sua dignatione vltrò vocatos ornare fuit dignatus. Nam nũc meminisse oportuit, quod suum admonet Timotheum D. Paulus, talem debere esse Episcopum, qui resistẽtes veritati posset redarguere. Ad quam prouinciam nũc temporis sanè multò difficillimam suscipiendam, etsi multa, veréque ardua plurima deterreant; quòd fidei principia subuertãt aduersarij; quòd probatos improbent auctores; quòd legitima nobis huic Spartæ longè imparibus eripiant defensionis arma, Synodorum decreta, piasque patrum

Quid nũc Episcopos in primis agere oporteat.

 constitu-

constitutiones : tamen fortiter subeundam, cùm sacrosancta Christi pietas hortatur, tum desiderata suadet almæ veritatis victoria, pacisque vel postliminio reducendæ spes inuicta.

Siquidem mirum quãtoperè nos vrat ille blasphemiarum non tam in Christianam doctrinam, quàm in Christum ipsum Catalogus: quo affirmant audaculi Confessionistarum Patroni, Episcopos Catholicæ Dei Ecclesiæ veram euangelij doctrinam non solùm sacrilegè adulterasse, & impiè deprauasse; sed impiam etiam superstitionem, diabolicam magiam, idololatricum cultum in ecclesiam Christi inuexisse.

Fol. 92. Fol. 179. Fol. 192.

Ad quod demonstrandum quia collibuit præclaris istis delectis Anonymis Confessionistarum defensoribus meum etiam nomen vnà cum clariss. virorum meorum R. præceptorum infami reprehensione suo scripto sæpius recitare, oréque incesto lacerare, etsi illa Christi Domini voce potuissem me satis superque solari, Gaudete cùm maledixerint vobis homines, mentientes propter me, quia merces vestra copiosa est in cælo: tamẽ plus de infirmorum fratrum scandalo anxius, alienæque salutis magis solicitus, nouum hunc, licèt refugitarent humeri, prægrauem laborem subire non dubitaui.

Matth. 5.

Hac enim ratione proculdubio futurum equidem rebar, vt non solũ omnibus liqueat quàm immeritò, ne dicam falsò, sycophanticè, atque calumniosissimè, nos aliósque Catholicos Apostolicæ, Christianæ, ac re vera Euangelicæ fidei professores & propugnatores apud imperitos traducant, quasi falsa sacrilega, impia, idololatrica defendamus dogmata; sed semel toti ostẽdatur orbi, istos Confessionistarum delectos defensores ingẽti illo scripto A. Ferdinãdo patri exhibito, fœdissimè à systatis variis contaminato, atque sophismatibus conspurcato, nihil nisi nugas canoras congerere, putidásque calumnias con-

Scopus huius Apologetici: & quantoperè faciat ad Reipub. pacem atq; Ecclesiarũ in vna Christi fide concordiam.

contexere, atque in plerisque nugis tragœdias agere. ad hæc improba, flagitiosa, prodigiosa mendacia in Catholicam Dei ecclesiam impudētissimè confingere, ac veluti de plaustro, quod dicitur, euomere; immo falsa dogmata, quibus disertè anathema dicit, ipsi per calumniam affingere: idque eo tantum scopo vt vel sic nonnullas sui sacrilegi istius schismatis causas imperitis & tunicato popello attulisse videantur. Præclaris enim illis rationibus suum impium iuxtà ac exitiale, immo parricidale cum excusare, tum tueri adeò conantur schisma. Ecquid enim, obsecro, ad istud schisma excusandum, aut stabiliendum faciat Asinus ille, vti loquuntur, palmis coronatus? Eleuatio statuæ ligneæ, die ascensionis; imagines quasi crepundiis inuolutæ per Quadragesimam; osculum crucis, crepitacula illa lignea in Parasceue à pueris adhibita? ô bellas idolomanias, ob quas caussantur fuisse necessariò ab auita discedendum Religione.

Causæ dissidij schismatisq; Germanici hoc apologetico refutatæ futilesque liquido demonstratæ.

Fol. 173.

Nugæ anilesq; næniæ ob quas Germani profitentur sese à Catholicis sacrilegum schisma patrare coactos.

Sed falsa, inquiat aliquis, dogmata, erroresque doctrinæ varios, potissimam faciunt sui schismatis, & à vobis atque Ro. Ecclesia discessus causam. Ita quidem præ se ferre videntur, iustam sibi esse discessionis sacrilegæ causam ob errores etiam quos vocant, doctrinæ.

Verùm hæc causatio tam legitimè ac verè contra Catholicos hoc nouo in scripto Confessionistarum adfertur: quàm in ipsa iam pridem Confessione Augustana, eiusúe prima protestantium Apologia. Certè vtrobique Catholicis falsa hæc impiæ dissensionis istius, sacrilegique schismatis causa improbè affingitur, ac per calumniam frigidam admodum et ieiunam malignè ingeritur.

An ob errores doctrinæ Germani hoc schisma verè fecerint, quod aiūt.

Quare operæpretium facturi videbimur, si breuem colligamus catalogum, qui veluti in tabella piorum oculis conspi-

Statum controuersiarum falsum aduersarij Confessionistæ in Catholicos confingunt.

cienda proponat dogmata; quibus Confessionistæ tam veteres quàm isti noui à primis illis noui sui Euangelij magistris ex diametro passim dissentientes Catholicos improbè vexãt, immeritóque accusant, & apud imperitos falsò traducũt, quasi doctrinam Euangelicam impiè deprauauerimus; aut humanæ doctrinæ fermento nefariè adulterauerimus.

Catalogus mendaciorum & calumniarum ex Confessione Augustana quę Catholicis protestantes affingũt vt veri imperitis iustam nefarii Schismatis causam habere videantur.

Magna quidem sunt, eáque permulta nobilis istius Augustanæ tã Confeßionis, quàm suæ primæ Apologiæ in Catholicos conficta (si verum nulla circuitione vtẽti dicere liceat) mendacia: quæ si quis accuratiori studio istis Anonymorum Confessionistarum tam Politicorũ, quàm Theologorum mendaciis in illos denuò & odiosius proiectis conferantur, meritò illa istis minùs videantur illiberalia. Quod vt exẽplis pauculis magno de aceruo arreptis fiat illustrius, non fuerit abs re nobiliora aliquot velut emblemata huc commemorare.

I. *Asserit Confessio Augustana anno 40. VVittenbergæ impressa Catholicos docere, homines (inquit fol. 76.) consequi remissionem peccatorum propter propriam dignitatem.*

II. *Item docere, nõ credendum esse, quòd gratis propter Christum remissio donetur: cùm ista nemo Catholicorum doceat, immo eos, qui ita sentiunt, Ecclesia Dei habet pro Pelagianis, aut Judaïzantibus.*

III. *Rursus articulo de Missa, opinionem sparsam esse in Ecclesiam, quòd cœna Domini (inquiunt fol. 21.) sit opus, quod celebratum à Sacerdote mereatur remissionem peccatorum culpæ & pœnæ facienti, & aliis: idque ex opere operato, sine bono motu vtentis.*

IV. *Item quòd applicatum pro mortuis sit satisfactoriũ: hoc est, mereatur eis remissionẽ pœnarum purgatorij. Verùm hæc nemo Catholicus docet, neque hunc in modum interpretatur*

missæ

missæ meritum, quod totum pendet, nobisque promanat ex vnius Christi merito.

Similiter & Confessio Augustana anno 31. edita Catholi- V.
cos docere Christum sua passione (inquit fol. D. 2. *b.) satisfecisse pro peccato originis, & instituisse Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus: cùm istud Ecclesia Dei Catholica nunquam senserit aut docuerit.*

Catalogus mendaciorum & calumniarum in Catholicos ex apologia Cõfessionis Augustanæ.

Quod si apologiam Confessionis Augustanæ quis aggrediatur excutere, videbit plus sibi operæ exantlandum in annotandis eius mendaciis, quàm Herculi *in Augiæ stabulo repurgando. Affirmat Apologia Catholicos Mariam Christo æquare. Res ipsa loquitur (inquit fol. 94. anno 55. edita) quòd pu-* I.
blica persuasione beata virgo prorsus in locum Christi successerit. Atqui eam non facimus deam, sed Dei matrem; non diuino, sed creaturis digno honore colendã: quæ longissimè Christo Domino sit & meritis à Christo filio acceptis, & dignitate cœlitus donata inferior. Rursus fol. 74. Catholici contẽnunt II.
Christi beneficium, aiunt, quodque satisfactiones nostras præferimus satisfactioni Christi; quas tamen nõ nisi ex vnius Christi merito dicimus Deo Patri placere, ceu riuulus tenuis copiosissimo de fonte in nos Dei filios deriuatus. Item fol. 34. III.
Catholicos impias affingere scripturis opiniones, quòd per bona opera mereamur remissionem peccatorum. Quòd bona o- IV.
pera sint propitiatio, ac precium propter quod Deus nobis recõcilietur. Quòd bona opera propter suam bonitatem sint ac- V.
cepta, nec egeant misericordia, & propitiatore Christo. Quas opiniones verè impias ait Apologia Catholicos defendere cũ eas execrentur, atque pro puro puto Pelagianismo eis anathema dicãt. Eiusdem fidei est quod Apologia Catholicis fol. 120. VI.

affingit,

*affingit, ipsos sceleſtè defendere Miſſam ex opere operato iu-
ſtificare, quòd mereatur remiſſionem culpæ, & pœnæ etiam
iniuſtis, pro quibus applicatur; ſi non ponunt obicem. quas
blaſphemias nullus vnquam in Eccleſia audiuit. Sic & A-
VII. pologia anno 31. excuſa, Scholaſticos doctores ait nihil omni-
no de fide in doctrina pœnitentiæ dixiſſe: cùm eius fundamen
tum faciāt fidem Chriſti, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo,
docentes ad interiorem pœnitentiæ motum requiri primò fi-
dei motum in Chriſtum.*

*Denique vt breuis ſim, Catholicos ait eadem Apologia
VIII. fol. 8. 1. b. vbique excluſo Chriſto docere mereri iuſtificatio-
nem per opera legis: cùm hanc impiam doctrinam vnà cum
ſuis auctoribus Iudæis, & Pelagianis anathemati ſubiiciāt,
nihil ſine Chriſto nec bonorum operum, nec meritorum in vl-
lo mortalium agnoſcentes. Sed hic modus eſto catalogo menda
ciorum ex Confeſsione, ſuáque Apologia colligendo, qui in a-
lium aptius reponetur locum.*

Catalogus mendaciorum & calumniarum ex Codice Grauaminum contra Concilium Trident An. 62. A. Ferdinãdo oblato, & hic refutato.

*Nunc iſtorum Anonymorum Confeſsionis Auguſtanæ
defenſorum aliquot cum illis componamus ſiue mendacia, ſiue
calumnias, quò liqueat veritatis ſtudioſo minus candidè iſtos
agere, miniméque pacis Eccleſiaſticæ eſſe ſtudioſos: ſed dolo
malo diſsimulare, immo malignè, planéque ſycophãticè inter-
pretari, atque adeò data opera deprauare & adulterare, quæ
I. ad ſarciendam faciant Eccleſiarum concordiam. Catholicos
docere aiunt fol. 123. hominem viribus humani arbitrij poſ-
ſe conuerti ad Deum: quod dogma Iudaïcæ impietatis pleniſ-
ſimum ſemper pro germano damnarunt Pelagianiſmo. Rur
II. ſus, eos iubere ſemper dubitandum eſſe (inquiunt fol. 131.)
an ſimus in gratia, an Deus nos exaudire velit inuocantes
propter Chriſtum: cùm certò fidendum, immo non dubitan-*

dum

tandum ex parte Dei doceant eos esse in gratia; qui sine hypo crisi ad Deum conuersi sacramenta ritè suscipiunt, Deumq; semper paratissimum exaudire omnes, qui per Christum in veritate ipsum inuocant. Eiusdem farinæ est quod asserunt, III.
Catholicos docere quòd meremur vitam æternam (inquiunt fol. 146.) per ciuilem honestatē atque externā iustitiā, quod Paganorum dogma nullus vnquam in Catholica Christi Ecclesia docuit. Sed illa maioris est impudentiæ calumnia, quòd IV.
ibidem adtexuerunt lepidi isti confessionis Augustanæ defensores, Catholicorum doctrinam à blasphemorū Iudæorum & Mahumetanorum siue Turcarum impietate in rei substantia parum aut nihil discrepare, cùm vera Catholicorum doctrina ab illis impijs plus quàm bis per omnia dissentiāt, vti suo inferius loco demonstrabitur aptiùs. Ad eandem fermenti mas V.
sam pertinent & illa, infinitos dies mandari festos (inquiunt fol. 178.) idq; sub pœna excommunicationis. Item matrimonium Catholicos docere (aiūt fol. 170.) vitæ genus esse impio- VI.
rum & prophanū: quod tamen ipsi norunt inter Sacramenta Ecclesiæ Christianæ à nobis censeri, atque cum Paulo nos docere thorum esse immaculatum, & ad animorum corporumque sanctificationem comparatum.

Loca veterū Patrum & Conc¡liorum ab Anonymis Confessionistarum patronis illo in codice data opera deprauatorūstudioque adulteratorum.

Talia non pauca extant hoc in protestantiū scripto C. A. Ferdinando oblato manifesta mendacia, nunc aliquot promemus Vet. Patrum loca, vbi fide pessima, scelerataq; conscientia ipsorum non sunt veriti verba deprauare ac de industria sententias nobis suffragantes adulterare.

In ipso controuersiarum vestibulo ad demonstrandā Catholicorum, vti aiūt, Idolomaniam in sanctorum inuocatione, D. Ambrosij allegant verba sic deprauata, dicentes per iustos posse ire ad Deum. Atqui D. Ambrosius non iustos, sed istos

ISTOS deprauāt aduersarij ex D. Ambrosio, cùm legatur ISTOS. *istos habet, neque de iustis, aut sanctis Christianorum agit: sed de Paganorum dijs, atq; nefariis Philosophorum Idolis.*

II. *Sic quod Conciliū Tridentin. Sess. 4. de seruandis apostolicis traditionibus, ac Dei spiritu in ecclesia præscriptis statuit, ipsi de humanis calumniantur esse definitum traditionibus, & humana, inquiunt fol. 273. authoritate constitutis.*

Concilij Tridētini verba per calumniā adulterant.

III. *Eiusdem perfidiæ est quod fol. 277. temerè confingunt, concilium Gangrense decreuisse Anathema esse, si quis à lege diuina discedens, nouas subinde comminiscatur traditiones & constitutiones: cùm istius sententiæ ne vel extremum extet in codicibus siue Græcis, siue Latinis vestigium. Quin potius disertè laudat eos, qui propositū continentiæ, siue votum castitatis eligunt, eosq; damnat, qui ieiunia communia totius ecclesiæ putauerint contemnenda: exoptatq; omnia quæ conueniunt traditionibus Apostolicis, & SS. scripturarum præceptis in Ecclesia fieri atque obseruari.*

Conciliū Gangren. deprauant cōtra disertam eius definitionē

Vide Cano. XIX.

Sic in Concilij Gangren. Epilogo.

IV. *Similiter & fo. 105. locum D. August. 4. ad Bonifac. c. 4. variè deformarūt: quædam mutantes, quædam etiam de suo adiicientes, quod artificium & alibi haud rarò vsurpare non verentur. Sed vt hanc adulterandi ac deprauandi syluā cædere, aut ad viuum resecare nunc desinamus; vnus est superioribus adtexendus D. Augustini locus, quem istos delectos Confessionistarum patronos minime puduit & verbis adulterare, & sententia ex diametro diserta D. Augustini eodē loco doctrinæ contraria deprauare. Sic scriptū reliquit D. Augustinus, inquiūt fol. 288. Peccatum in baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur.*

D. August. verba immutāt variè, atque de suo adtexūt sua pro libidine.

V.

Locum Augustini suis verbis adulterant, & sententia eius doctrinæ ex diametro cōtraria deprauant.

Hic palam fatetur, inquiunt, esse, hoc est, manere peccatum (in baptizatis) tametsi non imputetur. ô sceleratam fallendi libidinem! ô nefandam mentiendi impudentiam! Siquidē D. August.

August. ex professo contrarium disertis admodum verbis contra Pelagianos docet. Si quæritur, inquiens cap. 25. ab aduersariis recitato, quomodo ista concupiscentia maneat in renato, & cæt. aut certè si in parente baptizato potest & esse, & peccatũ nõ esse: cur eadem ipsa in prole peccatum sit? Ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in ›› baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. ›› Quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sa- ›› netur infirmitas nostra: & postea. Non ergo aliquid remanet quod non remittatur. Et cap. seq. In iis ergo, qui regenerãtur in Christo, necesse est vt reatus etiam huius, licet adhuc manentis, concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum non imputetur, docet enim mox auferri reatum concupiscẽtiæ, cùm remittitur. Sic igitur quod D. August. diserte ait de cõcupiscentia, quæ reos non facit baptizatos, audẽt generosi illi Apologetici eũ de peccato dixisse impudẽter admodũ confingere, atq; contra eius sententiã disertis verbis cõtestatã ipsi falsò asscribere. Sed hanc mendaciorũ telam abrũpere nũc suadet locus.

Qui tam manifestis pseudologijs, atque liquidis veterum Orthodoxorum PP. corruptelis, & sententiarum adulterijs deprauationibusq; nituntur cùm ad Ecclesiam Christi Catholicam oppugnãdam, tum ad suam Confessionem Augustanam stabiliendam, an non re vera de phanaticis illorum Theomachorum castris prodire conuincãtur, qui contra Ecclesiã veritatis columnã apud prophetã furibũdis vocibus clamitãt: Posuimus mendaciũ brachiũ nostrũ, et mẽdacio protecti sumus? 1. Timoth. 4. Esa. 28.

Sane qui probè perspectam penitusq; perscrutatam habet Augustanam siue Confessionem siue Apologiam, agnoscet indubius nullum esse Confessionistarũ contra Orthodoxã & Catholicã Christi Domini Ecclesiã præsidiũ præter mẽdacium:

Vnicũ Confessionis Augustanæ præsidiũ est mendaciũ, blandis humanæ doctrinæ lenociniis nixũ, Sophistarũ pharmacis pictũ, stibioque fucatum.

c 2 quod

quod callidis adeò verbis lenocinio, et vti Poeta ait, σόφοις φαρμακοις, arte verè ſophiſtica homines ingenioſi, ac ſeculi ſapientia carniſq; prudentia Deo inimica præclari contra Chriſtum ſtatuere, atque in imperij thronum (ſi ſuperis placet) moliuntur collocare.

Quorum de grege cùm pars non poſtrema ſint Anonymi iſti noui confeſſionis Auguſtanæ Apologetici tam firmis ſcilicet, tam ſolidis, tam inuictis nixi fundamentis ad ſuum ſchiſma à catholica Dei Eccleſia ſacrilegè patratum excuſandum, palliandum, propugnandum, mihi equidem, C. A. Maximiliane, religio fuit diutius tacere, ne Religionis Chriſtianæ cauſam meo quoque ſilentio prodere cuiquam viderer.

Etſi enim infanda iſthæc nouorum patronorum vitia dudum ex plurimis paucula commemorata nos quidem ad commiſerationem magis mouerẽt quàm indignationem mererentur, tamen infirmorum etiam habendam duximus rationem, ne iſtorũ cauſæ peſſimæ patronorum dolo malo, fallacijs, aſtutijs à vero aut ſeducantur, aut in mẽdacio pernicioſo diutius detineantur. Equidem nihil addubito, ſi illiberales iſtorum fraudes, aſyſtata, ſophiſmata, manifeſtiſſimæ calumniæ, impudentiſſima mendacia (quibus nouũ iſtud, vti demonſtratum eſt, ſicuti & confeſſio ipſa Auguſtana, eiuſque Apologia, ſcatet nouorum confeſſioniſtarum ſcriptum) illuſtriſſimis Rom. veſtri Imperij Statibus atque Auguſtanæ Confeſſ. ordinibus verè atque liquidò eſſent expoſita, quin ſuos iſtos ipſi execrarentur, adeóque in exilium (ſi nõ potius in Rhenum aut Danubium) propellerent improbos iſtarum calumniarum architectos, fraudulentos mendaciorum fabros, verſutos tam exitialis diſcordiæ, veræque impietatis magiſtros.

Malè tutum foret Anonymis Confeſſioniſtarum patronis ſi Ro. Imperij ordinibus fraudes ac doli mali candide atque verè exponerentur: quibus Germanicum ſchiſma improbe fouẽt, augentque nefariè.

Publica igitur hæc fratrum Chriſtianorum vtilitas, & defenden-

defendenda oppressæ apud ordines Protestantium per calumnias atque sycophantias veritatis necessitas ad respondēdum maledico magis, quàm solido, aut erudito illi Anonymorū Confessionistarum scripto nos potiß. impulit; ne verum imperiti credant diutius, quod sui noui magistri nobis falso, immo calumniose, contráque suam ipsorum, vti veremur, conscientiam affingunt.

Siquidem optima, & ea indubia, nos tenet spes, non posse illa mendacia dudum perstricta isthoc Confessionistarum scripto licet affabrè contexta, licet stibio fucata, licet purpurissa belle incrustata, ita coalescere, atque solidè cohærescere, quin aliqua semper hiaret rima: qua istam hostis nostri infestiß. diaboli macerie᷉ iuxta Prophetas mero humanæ doctrinæ luto non tenaci, sed friabili oblitam, mendacioque incrustatam, ac sine veritatis diuinæ paleis temere accumulatam, liceret suffodere. Inspicienti enim dudum Cæsari A. P. oblatū hoc Confessionistarum scriptum mox occurrebant non leues, vti prima quidem facie præ se ferebant, offensiones; asystata dico dissonantia, pugnantia, contraria, quæ animum ad singula accuratiùs expendenda aduertere monebant.

Indubia victoriæ spes auctorem ad illius codicis grauaminum cōtra Concilium Trident. editi refutationem instigauit. Iere. 13. & 22.

Vitia deteguntur, quibus illud nouū protestantium scriptum scatet, ac fædiß. laborat.

Cùm enim commemorata isthæc emblemata mecum tacitus etiam atque etiam recogitarem, indubiam perinde ac facilem sui victoriam alma veritas, fauente aspirantéq; Deo, pollicebatur.

Quin immo graue᷉ nobis visa est interminari apud illud Christi iudicis citra personarum discrimen iudicaturi tribunal accusationem, si nunc aut in hominum gratiam verum dissimularemus; aut metu vllo humano suam causam, cui propugnandæ nos elegisset Deus, ignauius, aut minus strenuè quàm pro virili hac, defenderemus. Qui namq; isthæc paucula istius

Confeſſioniſtarum ſcripti Cæſaribus P. & F. oblati prudens & æquus cenſor conſiderarit, accuratiusq; expenderit emblemata, mirum ſi non præ inſolentiſſima rerum iſtarum abſurditate obſtupeſcat penitus ingens iſtud diſſidium (quo Imperium Rom. tantum non ruit) tam friuolis, tam ficulneis, tam nullis planè nixum ratiunculis, tam improbis fultum calumnijs, tam impudentibus denique ſtabilitum mendaciis, manifeſtariisque fucatum vet. PP. ſententiarum adulterijs, immanem iſtam inuictæ hactenus omnibus exteris hoſtibus Germaniæ cladem dare potuiſſe, indubiamq; parere, immo paſſim inuexiſſe pluſquam Babylonicam captiuitatem?

Res planè prodigioſa Ro. Imperiũ hactenus toti orbi inuictũ tã ficulneis armis, friuoliſque cauſis prope expugnatum vltrò ſuis corruere diſſidiis.

Ex quibus vnguibus, quod vulgo dicitur, et ſi ſatis ſuperque iſtos liceat cognoſcere leones (quorum in perſona verus ille leo ſæuiſſimus Chriſtianorum hoſtis infeſtiſſ. Diabolus circuit, quærẽs, quos deuoret, non fortiter perſiſtentes in fide auita) hoc tamẽ nunc paulò diffuſius vt agamus, inſtituti huius ratio poſtulat: quo magis omnibus liqueat quàm verè Anonymi iſti Cõfeſſioniſtarũ tã conſiliarij Politici, quàm Theologi ad præclarum iſtud facinus delecti de illorum Pſeudoprophetarũ ſunt numerò, de quibus Dominus apud Prophetam conqueritur, quòd raptati ſpiritu vertiginis omnem Aegyptum errare fecerint vt ebriam, Miſcui illis, inquit ore Prophetæ Dominus, ſpiritum vertiginis, & errare feci omnes ſapientes Taneos.

Eſa. 19.

Anonymos Cõfeſſioniſtarũ patronos ſpiritu vertiginis raptatos & ſe, & ſuos cõmilitones oppugnare, atque iugulare adeò.

Quid autẽ obſecro manifeſtius declaret nouos iſtos Cõfeſſionis Auguſtanæ patronos hoc prophetico, immo Pſeudoprophetico raptatos vertiginis ſpiritu, quàm quod ſuos ipſi coniuratos veteres Confeſſioniſtas, dum nos ore inceſto ſuggillant, flagellant, lacerant, imprudẽter ſuperſtitionis accuſant, adeóque impudenter hæreſeos damnant? Siquidem inficias

ire nequaquam possunt inter indubitatos suæ Confessionis Augustanæ professores maxima etiam esse doctrinæ dissidia, propter quæ alij alios iam dudum declararũt, immo damnarunt hæreticos, cuius rei fidem langè locupletissimam (vt nihil de Brentiana illa Vbiquitate, Osiãdrianismo, aliisue monstris passim per Germaniam irrisis, & Adiaphoristarum varijs sectis verè hypocriticis dicamus) Confessio Mansueldensium & Wimarien. *faciat: vbi præter alios dãnantur Osiandriani, Melanchthonici, Anonymi & alij Lutheranorum neque pauci, neque obscuri ad sectas vsque 7. aut 9.*

Vide Confess. Nicolai Galli.

Sed quid, obsecro (vt quod res præsens postulat agamus) faciant Lunenbergensibus suis isti Censorij Confessionistarum delecti? an eos ab Augustana Confessione exclusos dicẽt, quod vetustissimis vti pergunt nobiscum cõcorditer sacris Baptismi ceremoniis (licet illi irrideant ceu superstitiosa, & velut impia cum Sacramentarijs subsannent) crucibus & Diaboli exorcismis?

Eædẽ omnino causæ dissidij aut schismatis Catholicis nũc obiectæ manifestò hæret in plerisque principũ protestantiũ, totaque Saxonia: à quibus esset etiam secessio facienda necessariò.

Si hæc sunt legitima schismatis à Catholico Dei populo faciẽdi causa, quia superstitiosa, magica Idololatrica (quòd fol. 183. dicitis, eos aquam baptismi ad magicos vsus & impia atque Idololatrica sacra exorcismis suis conuertere) cur quæso non habeantur talia & in vestris Euãgelicis Lunẽburgensibus? Cur non & in Wittenbergen. *Theologis quorum consilio et approbatione anno 64. Ordo Ecclesiæ Lunẽburgensis est* Wittenbergæ *denuò impressus? Taceo & agendam Saxonicæ Ecclesiæ, & Confessionem Ducum* Wimarien. *Saxonũ in baptismo exorcismos cum crucis signis varijs præscribere fol. 4.*

Exorcismis & crucibus vtũtur Lunẽburgenses & Saxones, idq; ex approbatione Theologorũ Wittenbergen. & Lipsen.

Deinde an Catholicos faciat superstitiosos si orationẽ Dominicã certo numero ad rosariũ, siue in digitos repetãt: et nõ ipsos euãgelicos, quod Kyrieleison aut ter, aut nouies cãtillãt?

Fol. N. a. 1. Fol. 4. C. a. 1. & 2. B. 3. 6.

Ad hæc si cultum sapit Idololatricũ quòd Catholici statuas atq; imagines reuerenter habent ad beneficiorũ diuinorũ memoriã gratanter renouandã, cur nõ et Lutherus vobis est sua cũ Vvittẽbergæ, totaq; propè Saxonia & Norico Idololatra, quòd imaginẽ crucifixi Domini, picturasq; serpẽtis, atq; baptismi Dominici in tẽplis piè obtinet? Illud porrò demẽtis insaniæ notã effugere nequit, quòd suũ adeò Lutherũ generosi isti Confessionistarum delecti defensores manifestæ damnant superstitionis. Cùm enim inter magica (si Christo placet) atque incantationes fol. 186. referant, quòd nos almo Dominicæ crucis trophæo panem, vinum, carnes, cereos & herbas consecramus: alij vt superstitiosum rideant, quòd frontem Christi signaculo terimus, armamus, aut consignamus: certè suum imprudentes damnant prophetam Lutherum. Is namque teste Johanne Manlio ad inexpectatum de Turca suis dissidijs, studiisque mirificè recreato, faustaque per reducem N. oratorem nuncianti sese crucis attonitus obsignabat.

Imagines reuerenter habẽt Lutherani in Saxonia & passim alibi.

Superstitionis Lutherũ suum agunt reum noui Confessionistę, si vera est nostri accusatio.

Lutherus an superstitiosus qui se crucis signaculo muniuit attonitus.

Vide Tom. 2. dictorum Philipp. Melanchthonis.

An non & ordinandos suos crucis signaculo solet prophanator Lutherus insignire post precationem publicã anno 65. à Sebastiano Froschelo Vvittenbergæ vnà cum ✠ signo crucis expressam? An non per Saxoniam populo à suis prophanis sacris, aut verius execrationibus domum abituro de more concionator benedicit cum S. ✠ signo à superintẽdentibus fo. 99. in ordinatione Ecclesiastica expresso? Sed istos vertiginis spiritu semel rotatos agi vnum hoc demonstret clarissimè, quòd doctrinæ sui euãgelistæ Lutheri inmemores nos audent Idololatrias accusare, quòd purgatorium post hanc vitam doceamus: cùm hac ipsa accusatione suum ipsi damnẽt Lutherum eiusdem vel superstitionis, vel impietatis, propter quam à nobis sese vel in primis discessisse profiteri non ambigunt. Sub

Fol. 96. cap. 4.

Lutherani suis benedicũt cum signaculo ✝ S. crucis.

Fol. 99. BB. 4.

Lutherũ suum erroris damnãt noui isti Cõfessionistarum Patroni.

mortem enim in Confessione suæ perfidiæ cõtra Cõcil. Tridentinum edita anno 46. disertè docet sine peccato licere bis ter orare pro mortuis.

Sanè orationem pro mortuis non reiicit, nedum damnat prima illa Apologia Confessionis Augustanæ: quæ disertè in hunc vsque diem sic in articulum de missa profitetur: Scimus „ veteres Patres loqui de oratione pro mortuis, aiunt, quam „ nos non prohibemus. At quisnam superest dubitãdi scrupu- „ lus istos anonymos Confessionistarum patronos non Christi spiritu actos, sed manifestè vertiginoso illo spiritu semel adobrutos, succoque inconstantiæ bis ebrios non posse consistere, quum vel contraria suæ isti præclaræ Confessioni Augustanæ eiusque Apologiæ hic astruere connitantur? Istud meridiana luce clarius ille de S. Eucharistia demonstrat articulus decimus. de quo Antithesi V. Item alterum non postremum controuersiarum caput de legitimo S. Eucharistiæ vsu ad sacrificium contra Apologiam ab istis dãnatum. Rursus de pijs viuorum pro mortuis precibus, vti modò indicauimus, de sacramentorum numero & Episcoporum iudicio. Istiusmodi mendis, fœdisque vitiis cùm scateat istud nouorum Confessionistarum scriptum, sanè consultò delecti defensores Jurisconsulti & Concionatores sua dissimulauere, immo suppressere nomina: ne suo perirent, vt sorices, iuxta prouerbium, indicio: ne turpissimæ istius inconstantiæ, inquam, atque incogitantiæ notati suorum dictorum, immo maledictorum, ne dicam blasphemiarum, impiorumque sacrilegiorum rationem reddere compellantur.

Contraria Confessioni Augustanæ, atq; eius Apologiæ noui isti Cõfessionistarum Patroni docent.

Verùm vt isti sua callidè dissimulauere nomina, quia in libro vitæ non sunt scripta: ita ex superioribus hoc satis liquet Dauidicum illud oraculum in istos protestantiũ patronos

Cur consultò atq; meritò sua occultarint nomina Anonymi isti protestantiũ Apologetici.

Psalm. 9.

Demonſtrâtur hoc in Apologetico cōprehenſi in operibus manuum ſuarum peccatores ad Dei gloriā, & vnius fidei Euangelicæ eiuſdēq; Catholicæ victoriam.

nos quadrare aptiſſime, quod de præpoſteris hoſtiū Chriſti ſtudiis prophetatum legimus, Cognoſcetur Dominus iudicia faciēs, in operibus manuum comprehenſus eſt peccator. Poſteaquam enim iam ſint liquidò conuicti Sophiſmatum, Aſyſtatorum, calumniarum, immo mendaciorum in Catholicos improbiſſimè confictorum: adeoque locorum illiberaliſſima mentiendi impudentia deprauatorum: & , quod omnem ſuperat fidem, cùm hic tam variæ detegantur pugnæ contra ſocios, contra Lutherum ſuum, contra ipſam denique ſuam Confeſſionem Auguſtanam, quam hoc opere ſuo ſuſcepere defendendam, nullum supereſt dubium, quin & hic (ſi vincere tandem queat veritas) Dei Opt. Max. gloria illuſtrabitur, quòd in operibus manuum ſuarū comprehenſi ſunt peccatores aduerſus Catholicā Chriſti Jeſu Eccleſiam, hoc eſt aduerſus Dominum & Chriſtum eius ſacrilego ſchiſmate inſurgētes. Sed cùm Solis luce clarius hoc in Apologetico ſit demonſtratū Confeſſioniſtas nullis legitimis armis ſuum poſſe ſacrilegum ſchiſma defendere, ſuáque dogmata ab hæreſiarchis iam olim damnatiſs. mutuata contra concordem omnium Vet. Patrum conſenſum nobis Catholicis conſentaneum temerè innouata vlla probabili ratione, nedū ſcripturis orthodoxè ac verè intellectis ſtatuere, aut ſolidè confirmare, omnis cura, ſtudium, diligentia eſt impendenda , omnis danda opera , vt certa aliqua vel tandem ineatur ratio de tollendis per Germaniam in Religione diſſidiis iſtis pernicioſis, certoque certius Rom. Imperio exitialibus ac planè internecinis.

Tranſitio ad alterū præfationis caput de remediis funeſto Germaniæ ſchiſmati adhibendis.

Occurrendū in tēpore flagranti atq; in dies inualeſcēti diſſidiorum religionis incendio.

Cū enim Cæſar A. ferale iſtud religionis Chriſtianæ diſſidiū Germaniā patriā dulciſs. miſerandū atq; lugēdū in modū paſſim depaſcēs in dies proſerpat latiùs, graſſetur ſæuiùs, flagret acriùs, ſanè tempus poſtulat, vt conſultiſſima quæque remedia

dia

dia quàm primum adhibeantur, priusquam malum incredibiliter inualescens fiat immedicabile, nullamque probi medici admittat manum. Ecquid enim aliud funestis istis vnius fidei Catholicæ dissidijs ille dissensionis auctor Diabolus molitur, quàm vt distractis varia per dogmata Christianorũ animis inhianti iam pridem nostris capitibus infestissimo Christiani nominis hosti Turcarum tyranno barbarisq́. in prædam cedamus verè Tragicam, & plusquam Babylonicam?

A certissimo interitus Ro. Imperij per Germaniam periculo.

Vbi enim animorum est dissentio, quæ religionis dissidium necessariò, vti vmbra corpus, assectatur; non iustum esse valeat animi robur ad communem illum hostem potentissimum nobis inhiantem profligandum, vt non dicam non deesse (pró pudor) qui minimè inuiti illum sibi optatissimum patiantur dominum, si per vicinos liceat.

Euangelicorum non pauci Turcam tyrannum sibi optant dominum.

Quid enim Galli Prouinciales, & Gascones superioribus annis sint meditati, non est obscurũ: neque Caluinistæ nostrates consultatione sua ad Serenisſ. R. Philippum in lucem edita cælandum putarunt. An non reperiantur hasce per prouincias, qui publicè suum dolorem vel in conuiuijs dissimulare non potuerunt de minus secũdo Turcarum successu ad Maltham, & alibi, contra Regem suum catholicum Philippum, quòd hac ratione suis rebus nouis paricidali perfidia tentatis viderent incommodari? Verißimè namque ille apud Euripidem conqueritur suo à germano fratre, paterno pulsus regno, grauique affectus iniuria.

Quidnam Hugonistæ per Galliam & Goeslei per Belgiũ spectarint atq; moliebantur.

Ὡς δεινὸν ἔχθρα, μάτερ, οἰκείων φίλων, »
Καὶ δυσλύτους ἔχουσα τὰς διαλλαγάς. »
Quàm dira res est, mater, inimicitia consanguineorũ! »
Et quàm difficiles habet reconciliationes!

Glißente namque semel inter fratres, aut etiam consan-

Huius causam vide apud Arist. VII. Polit.

guineos paricidali odio, ægrè admodum fraterni placātur animi: quorum iræ & si semper sunt iuxta prouerbium acerbissimæ, tamen si religionis caussa mutuæ inter ipsos oriantur dissensiones, aut conflictationes, ferè sunt, vt Græci vocant, ἄσπονδοι atque irreconciliabiles, vnde fit vt domesticis suis dissidijs quasi contabescat regnum, licet alioqui rebus omnibus florentissimum, quemadmodum misera nunc tandem videt Gallia, & vestra iam pridē deplorat Bohemia, frustráque vicina nimium luget infelix Græcia. Aliud enim dissentientibus inter se Reip. principibus euenire non potest, quàm olim apud Troiam Græcis: vbi Agamemnone atque Achille discordantibus secessione facta, clades fuit Graijs illata omni calamitate calamitosior.

Admodum atrocia certóque interneciua Reipublicæ inflicta sunt vulnera: quę tempestiuè sananda veniūt vera Religionis cōcordia, quoquo modo sarcienda A. Maximiliani studio.

Hæc igitur Christianæ religionis tam vario longéque miserrimo vulnere per varias Confessionistarum factiones scissa dissensio (vt nunc Suvēcfeldianos, Anabaptistas, Fraconistas, Libertinos siue Nicolaitas, & in primis Caluinistas, aliasque pestes per Germaniam non minus, quàm illi, numerose grassantes taceam) quæ certissima præsentium malorū est causa, ne etiam Reipublic. vestræ, totique adeò Romano Imperio interitum tandem afferat qui non timet, non ea animi acie, qua debet, pericula præsentia & imminentia, immo ceruicibus nostris iam dudum impendentia, tantumque non vrgentia expendere videtur, aut prudenter satis æstimare. Proinde cùm pernecessarium sit (in omnes in vniuersum isthoc dissidio quasi lethali Reipubl. vulnere ac peste verè sontica perire malimus) cùm inquā sit pernecessarium aliquam inuenire concordiæ inter Christianos sarciendæ, stabiliendæ, æternumque confirmandæ rationem, nulla erit solida, aut tantam ad rem salutariter conficiendam idonea, nisi de fidei do-

gmatibus

gmatibus antè cõueniat, & sarta tecta sit religionis Christianæ inter Germanos in primis concordia. De qua vel postliminio restituenda paucis, quæso, liceat cum omnium venia, quæ sentio exponere, pro virili enim boni ciuis functurus officio perquam breuiter depromam, quæ ad extinguendum tetrum atque lugendum hoc nostræ Reipub. Christianæ incendium facere videbantur.

Conciliorũ Ecclesiast. vsus saluberr. sed modò à morosulis reiectus per quã arroganter.

Saluberrima semper fuit in Ecclesiæ dissidijs componẽdis Conciliorum Oecumenicorum auctoritas, hæc nunc oderunt infelicissimi cane peius & angue: hæc miseri fugiũt, detestantur, execrãtur. Quæ namq; isti Confessionistarum patroni, vt & alij Euangelici, orbi præscribunt Concilia, vti appellant, libera & Christiana, vbi de tota religionis causa, adeoq; de ipso Pontifice Rom. quem isti reum peragere sese clamitant, iudicetur; vbi pij etiã principes & maximè Imperator (ait Confessio Augustana) diiudicẽt dogmata, fictitia sunt, Catholicæ Dei Ecclesiæ ignota, atque Platonica profectò ciuitate dignissima; immo Stoicam in porticum releganda. Rectè enim D. Ambrosius Valentiniano Augusto: Quãdo audisti Clementiss. Imperator in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores? & quod Deus donauit mihi, hoc ipsum alijs putem esse credendum? Neque verò diuino tantum iure, vti hoc loco ait D. Ambr. Datum est Episcopis de religionis, aut Clericorum negotijs iudicium: sed etiam lege Augustali. Sic enim A. Valẽtinianus pater constitutũ reliquit, teste Ambrosio ad Valẽtinia. A. F. In causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis, ait Ambrosius epist. 32. à patre tuo A. lege sancitum est, eum iudicare debere, qui nec munere sit impar, nec iure dissimilis; hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus, fideiq; causis.

Platonicum fingunt Concilium Euangelici, quod dictitãt liberum fol. 55. Editiõe An. 40.

Iudex in causa fidei, aut Episcoporum quis légitimus.

Audiãt hæc Adulatores isti aulici, & Gnathones Palatini.

Non tantũ diuino, sed & humano iure sunt Ecclesiæ iudices Episco. Ambro. epist. 29. & 30.

 sis.

sis. Quam legem pij omnes Augusti ad exemplum Constantini Magni semper obseruarũt: à cuius præscripto cùm Valens Arrianus discederet, rectè eius præfectũ Modestum D. Eulogius Edissenus rogabat, Nunquid etiam cum Imperatore
„ *Pontificem Valens agit? Unde et D. Athanasius epistola ad*
„ *Solitarios fol. 452. deplorat, Episcopos contra legem ferre iudicem Constantium Cæsarem. Meritò igitur Constantem C. Osius ille Cordubensis laudat, apud Constantiũ A. fratrẽ iura Ecclesiastica temerè inuadentem, quòd nunquã iudiciis Ecclesiasticis interfuerit, vti est apud Athanasium ad Solitar. fol. 456. Tibi, inquit Osius Constantio, Deus imperium credidit: nobis quæ sunt Ecclesiæ. Vt enim distincta sunt munera, ita & distinctæ agendorũ partes. hinc & A. Valentinianus, teste Ambrosio epistola nuper cõmemorata, dicere solet, Non est meum iudicare inter Episcopos, quibus Deus animas, vt mihi corpora, credidit.*

Constans C. laudatus à modestia Christiana, quòd negocia Ecclesiæ non vsurparit, sicuti Constantius archianizans.

Nobilissimũ A. Valentiniani Apophthegma Palatinis omnibus adulatoribus memorabile.

Non enim ab Imperatore Ecclesia suum accepit iudicandi officium, vti idem ait Athanasius ad Solitar. fol. 459. Quando iudicium Ecclesiæ, inquit, suam auctoritatem ab Imperatore accepit, aut quando hoc præiudicium agnitum?

Suas ergo partes, hoc est, nihil se in Ecclesiam posse, nihil sibi in Ecclesia iudicandum, nihil sibi de fidei dogmatibus statuendum esse agnoscẽs pius A. Valentinianus, rogatus à Bithyniæ Episcopis Synodum petentibus contra Arrianos, piè admodũ atque religiose respõdit, teste Sozomeno lib. 6. cap. 7.

ἐμοὶ μὲν, ἔφη, μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν. οἱ δὲ ἱερεῖς, οἷς τούτου μέλει καθ᾽ ἑαυτοὺς, ὅπη βούλονται, συνίτωσαν. *Mihi quidem in laicorum classe collocato, inquit, nefas fuerit talia curiosiùs agere, aut aliena curare. Sacerdotes verò quibus ista curæ sunt, inter se, vbicunque voluerint, conueniant,*

Pius A. Valẽtinianus sese polypragmaticon & ardelionẽ reputat, si Ecclesiastica sibi curanda sumeret.

niant, & synodum pro dogmate corrigendo habeant. Siquidem hoc fuit primariū Hypatiani Episcopi Perinthij aliorum nomine legati postulaturus.

Sed quid mirum, pium A. Valētinianum iudicium fidei siue Clericorum recusare, qui meminerat idem prius à Constantino Magno factum? A factiosis enim Donatistis per adulationem requisitus respondit: Petitis à me, inquiens, vti est historia Eccles. Magdeburgen. Centuria 4. fol. 585. in sæculo iudicium: cùm ego ipse Christi iudicium expectem. Rursus in Concilio Niceno non præsedit, quod imperiti quidam aiunt impudentissimè, sed paruo (inquit Theodor.) sololo assedit, præfatus veniam, & cōcessione ab Episcopis petita. Dixerat enim Episcopis, Vestrum est de nobis iudicium. nullas quoque iudicij leges synodo præscripsit, ait D. Ambros. episto. 32. sed liberum dedit iudiciū sacerdotibus. Vnde datis ad Melchiadem Rom. Episcopum literis, ei atque Collegis Episcopis scribit; vt causam Donatistarū cognoscāt, et vt ipsorū στερεώτις δοκιμάσι διευκρινίζαι, κὴ κατὰ τὸ δίκαιον τερματίζαι: integritas probet quánam ratione causa illa Donatistarū contra Episcopum Cecilianum Africæ perturbatrix quàm accuratissimè decidi, atque secundum iustitiam finiri queat: siue vti D. Augustinus epistola 162. ex actis publicis recitat, vt ipsi quod iustum est, statuant. Episcopos ergo controuersiarum Ecclesiæ iudices ac in primis Rom. Pontificem agnoscit pius Imperator magnus ille Constantinus; quē & in fine eiusdem epistolæ monet, vt nullum relinquat in Ecclesia schisma aut dissidium. Sic enim est in Græco exēplari Regio, quod callidè à Musculo peruersore fuit dissimulatum, vbi Melchiadi Ro. valedicens appellat Reuerendissimum, cuius & Collegarum opera hortatur tollenda Ecclesiæ dissidia,

Libro 1. cap. 7. ex versione Camer. vide Geor. Cedrenum.

Constātinus A. iubet Ro. Pontificē statuere ac definire causam Donatistarum.

Wolfgangi Musculi fraus & dolus malus.

improbè

improbè à Donatistis tunc concitata: postquam enim A. pius quæri iusserat, vti est apud D. August. epistola 162. ad cuius curam res ista, de qua rationem Deo redditurus esset, maximè pertineret, illos re vera culpandos vidit, qui terrenũ regem causæ Ecclesiasticæ iudicem esse voluerũt. Non enim ausus est Christianus Imperator sic tumultuosas Donatistarum & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, id est Melchiadis et collegarum, iudicaret: sed alios dedit Episcopos, eorum peruersitatibus cedens, & omnino cupiens tantã impudentiã Donatistarũ cohibere.

Nõ audet Constantinus suscipere iudiciũ de rebus Ecclesiasticis.

Quod si ausus non fuit verè pius Imperator magnus ille Constantinus de iudicio tantorum Episcoporum iudicare, vti disertè ait Augusti. nisi Donatistis cedens veniam à sanctis Antistitibus posteà petiturus; neq; sibi iudicis partes de Episcoporũ causa sumere Valentinianus, teste Ambrosio, sustinuit: quale nam C. A. Maximiliane, censendum erit istud Conciliũ, quod nunc homines audaces inaudita post Christianorum memoriam voce appellant liberum & Christianum: in quo iudicet Imperator, aut eius Comes siue Vicarius? Constãtinus ille magnus in Concilio primo Niceno non præsedit, sed humili soliolo, teste Theodoreto, Episcopis assedit. Martianus A. in concil. 4. Chalcedon. non ostentandæ suæ potentiæ causa se interesse profitebatur: sed ad confirmandam fidem exẽplo Constantini magni, ait Liberatus Carthaginen. cap. 13. Sic in alijs Cõciliis Oecumenicis Imperatores non præsedisse, sed adiutores adfuisse facile foret ostendere, nisi oborituro fortè fastidio consulendũ esset. Certè argutè non minùs quàm salse D. Athanasius Apologia secunda, Qua fronte talem, inquit, conuentum, qui fuit Tyri tota ex prouincia, appellare audent Synodum, cui Comes præsedit? et cæt. Vbi Comes verba faciebat?

Imperatoris partes non sunt iudicare de dogmatibus, aut Ecclesiæ negotiis.

Vide Liberatum Carthag. Archidiaconũ & D. Thomæ Politica cap. 17.

Vide Pighij Hierarchiam, & nostrã Panopliã.

Quale

Quale verò nomen talis conuentus, vbi Cæsar eiúsue vicarius rebus Ecclesiasticis præsidet definiendis meretur, libera sanè voce D. Athanasius edicit epistola ad solitar. Quis enim videns eum (Constantium A. ait fol. 470.) in decernẽdo principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat illum eam ipsam esse abominationem desolationis à Daniele prædictam?

Ex versione P. Nannij.

Quod & D. Ambrosius adolescenti A. Valentiniano à callidis versutisque Arrhianis circumuento obscurius insinuare non dubitauit. Senior factus censebis, inquit, qualis ille sit Episcopus, qui laicis ius sacerdotum substernit.

Ius sacerdotum ab adulatorib. substernitur laicis.

Quid ergo Cæsar A. Maximiliane, de istis nunc dicant adulatoribus illi diuini patres orthodoxi, qui contra Ecclesiæ morem, contra leges A A. contra ius Dei Episcopos, immo ipsum Episcoporum patrem, totiusque adeò Christiani gregis pastorem vnà cum omnibus cõtrouersiis fidei Christianæ laicis subijciunt iudicandos?

Quando enim audisti Clementiss. Imperator, ait Valentiniano A. D. Ambrosius, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Item paulò inferius. Si vel Scripturarum seriem, vel vetera retractamus, quis est qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus iudicare? Quam verè diuinam D. Ambrosij vocem si Cæsar Maximiliane, sequeris (vti nobis quidem persuasissimum est, te instar patrui Caroli V. A. *& patris Ferdinandi* A. *laudatissima piorum ac verè Christianorum* Augustorum *exempla æmulari) vides ecquid officij abs te nunc postulet Catholica Dei Ecclesia ista pernicioso Religionis dissidio tuum per Imperium Rom. tantum nõ oppressa: cuius te defensorem sacrosanctè non modò iurasti, cùm regiam coronam Pragæ Bohemorum, Presburgi Hungarorum,*

Episcopi de Imperatoribus iudicant secundũ ius scripturarũ, teste D. Ambro.

Quidnam officij ab A. Maximiliano nunc flagitet Ecclesia Dei Catholica: nimirũ vt sublatis semel religionis dissidiis, solida fidei inea tur concordia.

e *atque*

atque Francfordiæ Germanorum Cæsaream susciperes; sed proximi etiam anni Comitijs Augustanis (Deo Opti. Maxi. gratia immortalis) publicè es professus. Olim vbi quid periculi publici populo Rom. rerum domino impẽdere videretur, admonebant Senatores Consulem, daret operam, nequid detrimenti caperet Republica; idem nunc tempestatis in primis C. A. tibi agendum. Quod vti difficilioris forsitan videbitur negotij (sed quid obsecro forti atque pio Imperatori difficile, vbi Deus certò aderit adiutor?) ita gloriã pariet illustriorem, famamque ad posteros transmittet laudatissimæ istius industriæ, sanctissimæ operæ incomparabilisque studij testem immortalem, simul et præconem.

In omnium mentibus scripta, immo insculpta extat illa memorabilis diligentia, cura, labor tui aui Sigismundi Austriaci A. quam ad componendam perturbati impio schismate orbis Christiani pacem, & ad reddendam ouili Christiano concordiam tot sudoribus inexhaustis, tot peregrinationibus concitatissimis, tot periculis præsentissimis in cogendum Concilium Constantien. insumpsit. Meministi quænã PP. M. M. tuus patruus Carolus V. A. & Ferdinandus A. Pater, huius Germanicæ concordiæ instaurandæ causa subiêre iam pridem vnà tecum pericula: quotnam coëgêre comitia: quàm immensas, easque nocturnas exãtlarunt curas, labores, ærumnas bello illo Germanico; quod prætextu nescio cuius libertatis Euangelicæ, ipsum religionis Christianæ iugulum petebat. Quantum verò ab vtroque heröe, veréque pio Imperatore sit laboratum pro Concilio Tridentino cùm indicendo, tũ continuando, tandemque absoluendo, non est præsentis loci commemorare fusius, res hæc suum meretur Panegyricũ Isocrate quopiam dignissimum.

Ab exẽplis maiorũ AAA. Austriacorum.

Verùm

Verùm hoc Concilio nunc maximos post labores, Deo opt. gratia immortalis, legitimè confecto, atq; patrum ferè CC. *suffragijs concorditer definito; quidnam obsecro, ad pacē publicam totiusq; Germaniæ concordiam magnopere profectū? quid factum operæpretium?*

Certè quod hanc ad rem attinet, parum admodum: prô dolor. Et si verò nondum videmus diuulsas Germaniæ Ecclesias hac concordiæ ratione diuinitus orbi ostensa coaluisse, diráque dissidia sopita: non tamen idcirco res quasi deplorata, aut desperata de manibus est deponenda. Sed vti factum est pijs ab Augustis, qui se indefessos Conciliorum Ec. propugnatores, inuictosque præstabant afflictarū Dei Ecclesiarum patronos, exortis licet sæuiss. tempestatibus post Concilia aliquot Oecumenica Ephes. & Chalcedon. alia tentāda via, nullaque intentata relinquenda, & experiunda tibi C. A. *Maximiliane omnia, quò tandem optata pijs omnibus redeat pax, pristináque fidei Christianæ vnitas diuulsis miserè atq; dirum in modum dissipatis Christiani nominis Ecclesijs restituatur. Cùm verò exemplis illis domesticis dudum recensitis immortali sanè memoria dignissimis tuo in Augustali pectore accensum sciamus illos æmulandi studium, Deum opt. max. cuius à fauore benignóque auxilio salus pendet nostra, supplices deprecari, purisque, quod licet, precibus, atq; sacrosanctis liturgiis obsecrare non desinimus, vt salutaria hanc in rem vt gloriosissimam, immortalisq; laudis plenissimam, ita in primis tuendo Ro. Imperio tibi ad tēpus credito, conseruandæque apud Germanos religionis Christianæ pernecessariam consilia suggerere dignetur, quibus omnes Christi oues ad vnum illud, primúmque congregatæ Christi ouile, vna fide Deum colant, vno ore Deum laudent, vna religionis re*

Etiam si Concilio Triden. nōdum pax sit Ecclesiis Germaniæ reddita: nōdum tamē desperanda concordia, quæ alia atque alia tentanda est via.

vera Euangelicæ latria honorent, venerentur, adorent.

Proinde hanc almam in vna Christi fide concordiam Concilium Tridentinum cùm efficere (obstantibus nostris publicè grassantium flagitiorum, & in primis Ecclesiasticorum remoris) non potuerit, altera erit arripienda tabula; aut secunda potius, si videbitur, nauigatione vtẽdũ: id est, vt quod vniuersali negatũ est Synodo, Prouinciali vel Regionali, vt D. Augustinus appellat, tentetur, Concilio totum per Rom. Imperium indicto, siue Conuentu tali procerum, ordinumq; Imperij, qualem huius morbi nõdum deplorati aut postulat, aut saltem patietur ratio.

Quanã via nũc tentanda & moliendda Germaniæ in Christi Euangelio concordia.

In quo ad veterũ Patrum formã antiquissimáque Catholicæ Dei Ecclesiæ exempla de dogmatum nunc controuersorum legitimis sub iudicibus, secundum antiquas Imperij Rom. leges & patrum orthodoxorum Canones præsidentibus, disquiratur veritate. Quod & si fortassis ab aduersarijs non impetrabitur, quia incognitam patribus nostris, vti diximus, totíque adeò Catholicæ Dei Ecclesiæ matri nostræ ignotam, Euangelióque contrariam præscribunt Concilij liberi formam verè Platonicam: illud tamen licebit, Christo aspirante, efficere, vt ad concordiam in posterum certo ineundam certissima saltem iaciantur fundamenta.

In conuẽtu Imperiali demonstrare licebit Catholicæ religionis originẽ nostris dogmatibus per omnia consentire, semperque eandẽ fuisse Christianæ Ec. fidem.

Nempe, vt solis luce liqueat clariùs; nos Catholicos non aliud, non diuersum, non nouum docere aut defendere Euangelium, quàm fuit nobis Germanis ab initio iam olim traditum per Christi Do. Apostolos Thomam & Marcum: Apostolorumq; discipulos Laurentium apud vestrum Laureacum Austriæ in Norico, Lucium Cyrenensem in Rhetijs, Passauiæ ac in Vvindelicia; D. Ægistum atque Marianum in Bardvvijck Lunenburgensium; Nathanaëlem Treueris: Crescentem Mogũtiæ & Metis; Valerium & Maternũ Treueris, Coloniæ ac Tongris.

Vide D. Hiero. catalogo. Dorotheũ Tyriũ in Synepsi. Auentinum. Histor. Magdeburgen. Centur. 1. lib. 1. Victor. Strigeliũ annot. noui testamen.

gris. Rursus posteà per illorum discipulos Vlrichum Augustæ Windelicorum, Kilianum Vvirspurgi Francorum; VVilibrordum Oudt-Traiecti Batauorũ, Bonifacium Ingolstadij ad Danubium & ad Rhenum; Albanum ad Neccarum & ad Mœnum.

Quo in publico Ro. Imperij conuentu omnes licebit istius dissidij Ecclesiastici causas, immo causationes verè cauillatorias, ne dicam sophisticas & calumniosas semel præcidere: quas potissimum hac vna in re illi Anonymi Confessionistarum delecti habent collocatas, quòd suis patronis Imperij ordinibus falsò persuadent, sese nõ nouam inuexisse doctrinam, sed verè Euangelicam scripturis & perpetuo Orthodoxorum patrum consensui concordem atque consentaneam.

Quæ res etsi infiniti videatur negotij, neque libris scriptitandis, & Apologiis rescriptitandis, & Antapologijs regerendis vllum sit inuenire modum; facillimè tamen conficiatur, si publico in Imperij Ro. Comitio, siue Concilio potiùs Regionali res tota ipsis sanctissimorum Orthodoxorũ patrum verbis semel credatur decidenda. quemadmodum sapientissimum illum A. Theodosium ante annos plus minus 1200. in flagrantissimo Arrhianorum, Macedoniorun, Nouatianorum aliarumque pestium plurimarum dissidio, suggestione Sysinnij diaconi memorant historiæ feliciter admodũ optatissimam pacem Ecclesijs contentiosorum aliquot hominum studio deploratissimè ac propè desperanter diuulsis restituisse. Tunc sanè liquebit verum videre volentibus, non nos Catholicos turbare Israëlem, aut istius sacrilegi, paricidalisque, immo exitialis schismatis iustas dedisse causas; nedũ esse auctores: sed istos inconsultos Cõfeßionistarum delectos, eorumq; similes, qui se principum & ordinum Confessionis Augustanæ

Facillimũ compendium, quo Ecclesiis Ro. Imperij sarta tecta reddatur fidei Euangelicę concordia, exemplo A. Theodosij.

Verè turbant Israëlẽ, qui se dicere quàm esse malunt Euãgelici eorumq; potius Patroni Anonymi.

 Theo-

Theologos & Consiliarios dicunt Politicos. Isti namque Semitheologi confictis odiosiss. criminibus Romanum Pontificem, omnesq; Catholicos Episcopos apud suos Principes protestantes, vt nostri odio inflammatos, ita veri non satis peritos, sacrarum originum, mysteriorum & ceremoniarum Ecclesiasticarum, dogmatumq; controuersorum æquo minùs eruditos immeritò traducunt, nefariisq; calumnijs Catholicam Christi Ecclesiam de religione per Episcopos sceleratè prophanata impiè criminantur. Quin etiam manifestissimis planè mendaciis dudum indicatis Euangelium pridem á se, suisq; maioribus agnitum irreligiose oppugnant, & clarissimam Dei veritatem, reclamante sua ipsorum conscientia (quia loca SS. Patrum non pauca de industria sceleratiss. deprauant) sacrilegè explodunt, quemadmodum suis inferius locis demonstratur.

Veritatis victoria penes Catholicos; modò protestãtes suis verbis, decretisque Comitialibus stare nõ recusent.

Proinde si illustriss. ordines Imperij protestantes suis stare verbis velint, tam certa est penes Catholicos de dogmatibus ad vnum omnibus nunc controuersis C. Auguste victoria, vt hac de re iudices subire nõ detrectemus vel ipsos Illustriß. Confeßionis Augustanæ ordines & Ro. Imperij Clementiss. Principes. Siquidem disertis Augustanorum comitiorum decretis constitutum est (quod & Confeßionistarum
„ delecti hoc nouo grauaminum codice profiteri fol. 400. non du-
„ bitauerunt) vt tota tractatio horum negotiorum, siue con-
„ trouersiarum conclusio fieret piè ac ritè secundum sanctas
„ prophetarum, atque Apostolorũ scripturas; & perpetuum
„ consensum sanctorum in Ecclesia patrum. Qua vna in re potiss. omnium (si alia vlla sit humana) cùm certißima nunc temporis videatur solidæ cõcordiæ spes collocata, nos pro hac virili omnem impendimus huiusce ingenioli curam, omnem naua-

Iuxta decreti Imperialis formulam à Confeßionistis præscriptã dogmata 24. cõtrouer-

nauauimus operam, vt dogmata quæ Catholicis cum protestantibus adhuc supersunt controuersa (plurima enim, Deo opt. gratia, cum tempore factis illis & Christianæ antiquitatis eruditioribus, & animo mitioribus, minusque ferocibus sunt recõciliata) ad formam ab ipsis dudum præscriptam demonstraremus secundum SS. scripturas, & perpetuum SS. Patrum in ecclesia consensum posse nullo negotio componi, atque inuictam S. Euangelij veritatem pro nobis Catholicis stare. Veniat in medium, si exempli causa quis requirat, illa princeps istarum 24. Antitheseon Catholicis, tanquam Euangelicæ fidei deprauatoribus & cultus diuini adulteratoribus obiectarum quæstio, prima in acie à Confessionistis ceu palmaris proposita, an Catholici nouam sequamur doctrinam, superstitiosam, impiam, Idololatricam, quòd Sanctos ad auxilium de more inuocamus?

sa hoc Apologetico demõstrantur ex Catholicorũ sensu statuenda & conciliãda, quod exemplis aliquot illustratur

Vtri parti de SS. inuocatiõe scriptura & cõsensus PP. Orthodoxorum concordet atq; conspiret: Catholicisne, an Euangelicis.

Si illustriss. DD. Electores, & Clementiss. DD. ordines Rom. Imperij Confessioni Augustanæ addicti suis Comitiorũ Augustanorum decretis dudum commemoratis stare non recusant, perpetuumq; Vet. Patrum hac de re sequi ex animo volunt consensum SS. scripturis nixum & contestatum, audiant obsecro benigni, quos inferius recitamus Patres, viros Clarissimos, Vetustissimos, Orthodoxos 14. aut 15. nobis suffragantes. Inter quos & illos agnoscent patres, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum vna cum alijs disertè nobiscum S. virginem Mariam, SS. Apostolos, SS. martyres, Stephanum, Laurentium, Basilium & Cyprianum inuocantes: quos contra hanc Orthodoxam doctrinam obiicere Catholicæ Dei Ecclesiæ non puduit fraudulentos istos Anonymos Confessionistarum patronos delectos suos Theologos & Consiliarios politicos: qui dissimulatis dolo malo perspicuis ac passim obuiis

Orthodoxi illi PP. inuocãt sanctos, quos perfidi Confessionistarum patroni Anonymi contra SS. inuocationem non verẽtur detorquere atque deprauare.

uiis sibique notis illorum Vet. Patrum sententiis ad concordiam Ecclesiasticam singulariter faciētibus illas tantum callidè veteratores isti ceu strenui Bellonæ Antistites corradūt, quæ funestissimum Germaniis, Romanoq; Imperio alant religionis dissidium.

De sacrificio missæ propitiatorio, de panis transubstantiatione, atq; Christi in sacramēto adoratione PP. Orthodoxi omnes Catholicis consentiunt.

Similiter & aliæ illæ de S. Eucharistiæ pro mortuis sacrificio, de adoratione, atque transubstantiatione quæstiones si iuxta illud Imperij decretum Christiano animo, veritatis magis, quàm contentionis studioso examinentur ad scripturas & perpetuum Orthodoxorum PP. consensum, suis infrà classibus recitatum, videbunt Illustrissimi Principes protestantes perspicuè, Catholicos in his, aliisque ad vnum omnibus dogmatibus nunc in cōtrouersia positis iuxta scripturas, perpetuumq; patrum consensum piè sentire, verè atq; Euangelicè de Christo ac Deo credere, legitimè Deum colere, nullam superstitionem, aut præposteram religionem serere, nèdum impietatem vllam, aut prophanam Idololatriam propugnare.

Ad hæc perspicuum erit non densissimis errorum & superstitionum tenebris Episcopos Catholicos (quod Anonymi illi fol. 420. temerè calumniantur) doctrinam Ecclesiæ inuoluisse, non prorsus nouum religionis genus à diuina scriptura, instar Iudæorum & Turcarum, in Ecclesiam Christi inuexisse: non denique nouum Christianismum orbi aut Germaniæ peperisse. Sufficiat in præsentiarum istud de principibus controuersiarum capitibus hic delibasse; quæ idcirco leuiter perstrinximus, vt viris pijs atque concordiæ Germanicæ, adeoque vnitatis Ecclesiasticæ studiosis aliquod sarciendæ inter partes dissentientes pacis specimen ederemus.

Cæterùm hanc rem piis quidem optatissimā, sed omnibus

in vniuersum multò maximè salutare efficaciter conficiēdā, nihil impedire videtur aliud, quàm quonam tandem sub iudice lis isthæc maximi sanè momenti, vnde non Ro. tantum Imperij, sed animarum etiam nostrarum pendet salus, veniat dirimenda. qui vnicus scrupulus de via nobis superest remouēdus, quò desideratißima omnibus religionis Christianæ pax atque Euangelicæ fidei concordia fausto, inoffensoque in Germaniam redeat pede.

Quo tandē sub iudice istud religionis dissidiū componendum atque solidè sarcienda Ecclesiarum concordia.

Certè si Confessionistæ antiquis perindè atque iustis legibus Rom. Imperij, immo suorum atque nostrorum piorum, veréque Christianorum maiorum Constitutionibus se patiantur constringi (ne filiorum Belial, id est iugum Domini excutientium, calcitrantium, perduellium, atque Ecclesiæ Dei rebellium, nomen & culpā mereantur) nihil est quod laboremus.

Si antiquę leges ac iustissimæ cō suetudines valeant, certus est iam designatus quæstionū fidei iudex.

Verùm quia istud, licet æquissimis nitatur causis, licet necessarijs dudū ex D D. Ambros. August. Athanas. depromptis fundatum sit rationibus, licet clarissimis denique Sacratiß. AAA. Valentiniani, Constantini, Marciani, & aliorum fulciatur exemplis, nos impetraturos vix nobis ausimus de aduersarijs polliceri: (nam repudiata religione auita, & Paternæ leges ipsis quoque fuēre necessariò damnandæ, proculcandæ, abolendæ) non omnis tamen ideò præcidenda, nedum abiicienda est reducendæ aliquando Germanijs, Christo bene propitio, in fide vna die concordiæ atque piæ reconciliationis spes.

Etiam si iudicē controuersiarū legibus & Dei verbo præscriptum recusent aduersarij: nō tamen concordię spes est abiicienda.

Quāquam enim sibi sua in Stoica illa Ciuitate aduersarij Concilium imaginentur verè Platonicum, quod ipsi liberum vocitant atque Christianum, à quo reiiciunt, subselliisque excludunt iudices Ro. Pontificem, omnesque Ecclesiæ Dei Catholicæ illi adhærentes Episcopos; introducunt verò post

Quosnā à Concilio suo libero submoueāt iudices: & quos præficiant Anonymi Cōfessionistarū Patroni fol. 364. & fol. 365.

 Impe-

Imperatorē & Principes nescio quos Sophos plusquam Platonicè sanctulos & pios, adeoque omnium ordinum laïcos suorum pastorum, doctrinæque cælestis arbitros: tamen nos, opinor, non tam habent bardos, blyteos aut stupidos, qui hoc à iudicio exclusi ipsos feramus iudices, nostros accusatores. Quæ enim iudicij æquitas, reos quidem inauditos damnari, accusatores verò suo pro arbitratu & iudicare, & vincere, & triumphare? Si reo suam tueri innocentiam non est integrum apud iudicem minùs aut integrum, aut de partis accusatricis fauore suspectum, ecquænam, obsecro, erit iusti tribunalis facies, vbi iudices capitaliter nō solum reos oderunt, sed criminaliter etiam accusant, adeóque anticipato iudicio paricidaliter, tanquam ciuili etiam seditione ab illis digressi exitialem moliuntur Reipub. Christianæ euersionem?

Vide Plutarchū vita Ciceronis. Item eius politica.

Tali iudicio si Catilinæ suis cum coniuratis C. Cæsare, M. Crasso, Cethego, aliisque non obscuris Ro. Reipub. quondā luminibus suam causam agere licuisset, an non Ciceronem optimum Consulem suo exturbasset vnà cum senatu, ipsáque Republica Ro. loco? An non Arrhiani hisce artibus toties damnarunt S. Athanasium? an non sic inualuit Concilium Ephesinum 2. quod meritò Græcis dictū fuit λῃστρικὸν, pyraticum, atque prædatorium?

Lutherani si suū sequantur Lutherum, omnes semel laïcos à iudicio dogmatum controuersorum excludāt vt soli regnent.

Neque verò, quando ad rem veniendum erit, Euangelici à suæ doctrinæ iudicio solum Ro. Pontificem excludant: sed omnem prorsus secularem etiam potestatem. Lutherus nāque disertis admodū verbis istud docet de Imperatore Carolo V. atque adeo de suo etiam Euangelico discipulo Saxone Jo. Frederico, Imperij Ro. Electore.

Lutherus non fert causam cō trouersiarum fidei diiudican-

Siquidem epistola ad Melanchthonem anno 30. die xx. Julij data, se ad Principem in Comitijs Augustanis tunc agētem scripsisse

ſcripſiſſe ait, non eſſe de cõcordia cogitandum: das vnſer ſache den Keyſer zu keinen Rechter leiden kan; quod noſtra (inquit) cauſa Imperatorem iudicem ferre non poteſt.

dam à Cæſare Carolo V. neq; ab ipſo adeò Saxone ſuo Rom. Imperij Electore.

Iſtud verò præclarum Lutheri elogium non ideo tantum de A. Carolo V. pronunciatum ab eo liquet, quòd Catholicæ eſſet Eccleſiæ ſtudioſus, hæreſeôn oſor, fideique Chriſtianæ acerrimus propugnator: ſed quòd à Deo mandatum tale non haberet laicus. hac vna enim de cauſa vel ſuum Saxonẽ infelicem illum ſui Euangelij noui propugnatorem ferre nõ potuit iudicem.

Siquidem præfatione in viſitationem Saxonicam editam Wittenbergæ anno 39. ſic de ipſo ſcribit fol. B. I. a. Nam licet ipſi non eſt mandatum, inquit, vt doceat, & ſpiritualia gubernet. tamen debet vt ſecularis poteſtas ſummè curare, ne diſſidia, ſectæ, ſeditiones exoriantur in ſubditis. Quòd ſi docere, aut ſpiritualia gubernare laico non licet: nec fidei cõtrouerſias diiudicare licet.

Principi ſeculari non eſt mandatũ vt doceat neque vt ſpiritualia gubernet, teſte Luthero, multo minus ergo vt iudicet de doctrina.

Quos ergo tandem, inquias, admittunt Euangelici iudices? Concilium aiunt. Iſtud verbis quidem dicunt, ſed re ipſa nihil aliud, quàm tergiuerſantur & ſubterfugia quærunt. Nam tale ſibi ſomniant Concilium, quod liberum dictitãt & Chriſtianum, quale aut nuſquam, aut nunquam reperiatur, aut cogere cuiquam concedatur. re vera enim merum eſt figmentum Platonicum, quod imperitis obtrudũt, dum ex omnium ordinum hominibus eos aſciſcunt, qui in quaq; prouincia (inquiunt fol. 364.) inſignis alicuius doctrinæ, intelligentiæ, & ſanctitatis nomine celebrantur; quibus vox deliberationis atque iudicij, ac definitionis eſſe communis cum Clericis debet.

Quales in Concilio Euangelicorum illo libero futuri iudices toto orbe ex laicis aſciſcẽdi.

Obſerua notas deligendorum in libero Concilio iudicum.

Deinde ſi manus erunt conſerendæ atque Concilium ali-

Remoræ tali in Concilio libero exoriturę, aliud perpetuo postulant sibi Concilium liberum.

quod tandem, quod ipsis placeat, cogatur, tot erunt exceptiones, tot protestationes, tot denique tergiuersationes, vt earũ nullus futurus sit aut numerus aut modus, quibus extricãdis aut dirimendis altero semper Concilio foret opus. Sed in præsentiarum si ita videbitur, demus aliquod ex illorũ præscripto coïre posse, immo iam conuenisse Concilium, putas ne C. Auguste illo fidei cõtrouersias aut sopiendas, aut certò definiendas?

Ecquid agãt dũ Euãgelici Christianum ac liberum quærunt Concilium.

Minimè gentiũ. Quid ita? inquias. quòd innumeræ obiicietur interpellationes friuolæq; appellationes. suo enim iudicio cõuicti, et vti D. Paulus ait κατακριτοὶ *à seipsis condẽnati Euãgelici, quòd à sana veraq; Catholicorũ & Orthodoxorũ Patrũ doctrina ex diametro dissentiant, illisq; contraria adeoq; disertis ipsorum verbis dãnata doceant, nũquam rem eò deduci sustineant, vt seria, & ad viuum fiat vtriusq; doctrinæ collatio ad genuinas & non adulteratas Veterũ Patrum sententias.*

Appellatione sua ad Concilium Lutherus quidnam quæsierit ac spectarit.

Quòd enim non veritatis discendæ causa, neque doctrinæ Euangelicæ agnoscẽdæ gratia liberum aut Christianum quærant Concilium Lutherani, vnus Lutherus instar omnium locupletissimo sit nobis testimonio.

Testatur quadam Epistola Lutherus quid nam sua ad Concilium appellatione spectarit. Sic enim extat To. Germa. V. Jenen. epist. V. ad Phil. Melan. anno 30. die S. Margaretæ data.

Lughenhaftighe Teuffels copffen.

Auf das ich die vveil friede hette.

Veruntamen posteaquam, ait, isthæc mendacissima diabolorum capita ludunt in promittendo Concilium liberum, sic volo & ego cum eis ludere, voloque ab eorum somniis appellare ad illud ipsum Concilium, quod tamen nunquam futurum est, vt ego intereà in pace agam. Audis C. Auguste Lutherum non ferre Imperatorem Carolum V. neq; principem

Electorem ſuæ doctrinæ iudicem, ſuiſque illis iactatis ad Concilium liberum appellationibus non veritatē quæſiuiſſe, dum ait intereà ſe in pace acturum: ſed hoc agere, quod ſpiritus S. de quodam hominum genere ſtomachabundus conqueritur, Filij hominū vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Prouocat ad Concilium Lutherus liberum & Chriſtianum, quod tamen ait nunquam futurum.

Appellatio Lutheri ad Concilium liberū elusoria fuit: quòd sciret nunquam futurū, aut coiturū quale vellet.

Quod ſi futurum eſt, aut ratione aliqua cogi queat quale velit, non admittat ſuæ doctrinæ iudicem, non Pōtificem Ro. non Epiſcopos illi adhærentes, nō Imperatorē Ro. Carolum V. non ſuum denique diſcipulum Saxonem Electorem, quod illi ait, non eſt mandatum vt doceat & ſpiritualia gubernet.

Quid igitur, dixerit aliquis, conſilij, ad inſtaurandā hanc religionis per Germanias miſerandum in modū diuulſæ concordiam? Nulláne conciliationis ſupereſt ratio, cùm Catholicos Confeſſioniſtæ hoc à iudicio prorſus excludant ceu reos: contrà & Confeſſioniſtas Catholici ſubſellijs temerè, immo violenter, ne tyrannicè dicam, contra leges publicas, contra ſacroſancta piorum maiorū inſtituta, contra humana, adeoq; diuina iura omnia occupatis amouendos ceu accuſatores opponant? Certè quod ad Catholicos quidem attinet (quos aduerſarij reos ſeſe peracturos profitentur) nihil equidem ambigo ſeſe paratiſſimos ſua innocētia fretos, ſuam cauſam præclaro Patrum ſuorum Cōcilij illius magni Niceni noſtræ Catholicæ fidei ſingularis columinis exemplo vel Philoſophis impijs iudicibus permittere dirimendam: vt nec taceam, cùm illi reperiri nequeāt, ne Mahumetanos quidē (ſi omnino exteris, fideiq; Chriſtianæ hoſtibus ad pacem nobis Chriſtianis conciliandam ſit piè abutendū) arbitros vnquā recuſaturos.

Licet Catholicos subselliis excludant Euangelici, & hos Catholici, nōn tamen desperāda Ecclesiarum per Germaniā concordia.

Tria iudicū genera admittunt Catholici, quos recusant Lutherani.

Catholici suæ causæ bonitate ac doctrinæ veritate freti iudices nō recusent Philosophos, vel ipsos Mahumetanos, si fieri queat.

 Tanta

Tanta est, Auguste Cæsar Maximiliane, huius causæ nostræ bonitas; tanta elucet indubia victoriæ spes; tanta effulget illustrissimæ veritatis doctrinæ nostræ Catholicæ lux, vel solis splendore clarior in S. scriptura & Vet. Orthodoxorum Patrum monumentis candido atque Christiano pectore perlustratis.

An igitur apud Christianos, fortè inquias, per Europam omnis exulat istius paricidalis schismatis Germanici componendi, aut saltem sopiẽdi spes? minimè. C. A. minimè: sed videt C. T. Maiestas versutos veréque versipelles istos Confessionistarum delectos omnes refugitare iudices, qui ab ipsis diversum sentiunt; illosque tantum admittere, qui fauoris præiudicio iam dudum notati suum prodidère veritati Catholicæ infestum studium.

Caluinistas nõ recusent Catholici iudices in cõtrouersiis Cõfessionistarum propriis.

Nam si vel suos Syneuãgelicos Caluinistas admiserint iudices, etiam istis arbitris in iis iam pridem vicimus cõtrouersiis, vbi Caluinistæ non minus à Lutheranis, quàm à nobis Catholicis dissentiunt, vti meridiana luce clarius in grauissima transubstantiationis S. Eucharistiæ causa liquet.

Caluinistæ iam pridem pro Catholicis iudicarũt contra protestantes in variis dogmatibus ac pro Catholicis Lutheranos oppugnant.

Jam pridem enim scripturis variis atque rationibus certissimis orbi demonstrarunt Caluinistæ necessariò consequi, si in S. Eucharistia est Domini corpus verè præsens (quod nobiscum hactenus verbis quidem obtinent plerique Confessionistæ) panis etiam fieri prorsus commutationem: siue vti cum vetustissimis patribus loquimur, transubstantiationèm. Theodorus Beza crassiùs cæcutire Lutheranos scribit, Respõso contra Iacob. Andræam fol. 85. quàm Catholicos: qui transubstantiationem in consubstantiationem transformarunt. Rursus & fictitiam illam vbiquitatem, Brentij & suorum Tubingen. delitias, nunc per Germanias grassantẽ, solidis admodum

Prȩclari aliquot Lutherani ipsos Confessionistas damnãt, ac pro

modum rationibus & manifestis Orthodoxorum PP. *testimoniis nobis concorditer refutarunt nō modò Caluinistæ in colloquio Molbrun. sed plurimi etiam Confessionis Augustanæ professores, vti Philip. Melanchthon, Ioachimus Morlinus, Mart. Kemnicius, Nic. Selneckerus, P. Eberus, Nicol. Hemmingius, Victor Strigelius, & alij plurimi Lutherani ex diametro illi repugnātes. Sic et de pia Christi Domini in S. Eucharistia adoratione contra suos symmistas Lutheranos Joachimus* Westphalus *responso ad Joan. à Lasco, aliique non ignobiles; immo Lutherus ipse Captiuit. Babyl. & alibi nobis suffragantur. Cæterùm quia nec Philosophos cum Concilij Niceni patribus adire iudices tempora patiantur: Mahumetanos arbitros religio nō ferat Christiana: Caluinistas aut alios sectarios, licet Syneuāgelicos suos, immò ne suos quidem Confessionistas noui non admittant Confessionistæ, nos verò ipsos Confessionistas quasi accusatores contra nos, ceu reos, iustiori ratione non adhibendos excipiamus, sicuti & hi Catholicos suæ nouatæ, & à nobis, id est, à toto orbe Christiano variatæ doctrinæ recusant iudices: ecquænam igitur tandem tibi superesse videtur concordiæ istius sarciendæ ratio?*

Catholicis oppugnant.

Vide Colloq. Molbrun. fol. 288. & com. Strigelij in no. test. a n.

Colloquiis varia iam pridem forma tāto pacis studio indictis quidnam promouerit diua AA. *Caroli & Ferdinandi pietas, notius est, quàm vt sit commemorandum. Publicis disputationibus multò minùs res cōficiatur, quòd semper citra arbitrorum potestatem fuerit partes cōciliare. Quāquam igitur solidam pij omnes diffidant coituram in religione concordiam, nec posse inuiolabiliter sarciri istud paricidale dissidium, donec ad petram vnde excisi sumus, atque ad nostram matricem, id est vnum illud Christi corpus, cui ipsius loco vnus est præpositus Petrus pastor, omnes redierimus, (vti olim Africa,*

Colloquiis variis aut disputationibus publicis nihil effectū neque inde magnoperè speranda concordia.

Variæ pacis atq; concordiæ formulæ.

I.

Certissima con cordiæ per Germaniam farciendæ ratio aut saltē parasceue per Arbitros exemplo Concil. Carthaginen. eligēdos.

Africa, totiusque Oriens, & dudum Armenia, atque nuper prouincia Antiochena) tamen vt huic solidæ paci, veræque religionis Euangelicæ concordiæ via præstruatur indubia, in primis profuturum equidem crediderim, si cōmuni Statuum Imperij Ro. consensu vtrinque (quemadmodum in Concilio Carthaginē. factū refert Synodus Basilien.) deligantur arbitri aliquot viri pij, Dominum timentes, auaritiæ, luxus, gloriæ suæ hostes, superstitionem omnem detestantes, fanaticum omnem errorem execrantes, hæresim denique omnem abominantes, penes quos sit auctoritas partes citra turbam tranquillè audiendi, & ad Status Imperij quod videbitur, æquo cum iudicio referendi.

Vide Conc. Basilien. epist. synodali. To. 3. fol. 151.

Penes Ecclesiā certò Catholicam esse iudicium cōtrouersiarum.

Sed quod Caluinistæ, aut Seruetiani, vlliue alij Euangelici à nobis egressi, quia non erant ex nobis, nō permittant sua in controuersia iudicibus Lutheranis, nec nos Catholici hac tanta in re permittere cuiquam possimus definiendum, nisi iuxta legem illam diuinā: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus.

Deutero. 17. Matth. 16.

Iudicium Ro. Pontificis, eiusque prærogatiuum quàm sit solide firmatū firmiterq; fundatum.

Quòd si ille iudex in Christi Ecclesia diuinis oraculis designatus, Conciliorum omnium decretis constitutus, liquidis etiam Orthodoxorum PP. testimoniis confirmatus, indubitata denique iudicandi possessione, & ea antiquissima præditus, qui omnem fidei controuersiam legitimo atque Christiano in Concilio definire sua diuina auctoritate possit, non admittitur, frustrà alium quærimus in terra iudicem, cuius arbitrio res tota stet aut cadat.

Nam quod aiunt ipsum esse reum factum, ideóque iudicio excludendum, quàm temerè dicatur, ipsi obsecro considerent accuratiùs. Accusant eum, sed qui ab illo de Ecclesiæ more sunt iudicati, quòd priscas renouant hæreses; quòd cōtra-

rias

rias SS. ſcripturis ab Orco reuocant hominũ doctrinas; quòd denique præiudicata perpetuo Patrum Orthodoxorum conſenſu impia orbi inuehunt dogmata. Non igitur tam Ro. Pontificis iudicio, quod cauſantur, ſunt condemnati: quàm perpetuo illo totius Eccleſiæ Dei Catholicæ præiudicio cõuicti, damnati, excommunicati: à cuius concordi doctrina tam variè diſſentiunt. Ab hoc ergo iudice diuinitus Chriſti vice conſtituto ad Chriſtum ipſum cum Brentio contra Catholicos, & cum Beza contra Brentium, aliosq; Lutheranos prouocare, an ſatis ſobrij cuiquam ſano videbitur capitis? Neque enim ſolus iudicabit, ſed illis ſuis cum fratribus, quos Deus Opt. max. Apoſtolorum loco conſtituit principes ſuper omnem terram: nimirum, quos ſuæ Eccleſiæ Chriſtianæ ſpiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, vt eam regant atque paſcant. horum ergo paſtorum Chriſtianorum in Chriſtiana doctrina conſtituenda iudicium aut refugere, aut recuſare, nõ eſt Chriſtianarum ouium: quæ illam ſui paſtoris Chriſti vocẽ ſummo animi obſequio venerantur, Qui vos audit, me audit; Qui vos ſpernit, me ſpernit. Quotquot ergo veras Chriſti Domini oues ſeſe profitentur, illam paſtoris ſui, cui Chriſtus Dominus totum credidit ouile paſcendum, audire debẽt in Eccleſia vocẽ, quæ quid Euangelicũ, quid pium, quid impium decernit: vti iam dudum in Concilio Tridentino clara voce perſonuit. Contra cuius decreta ſi qui cum ratione ſeſe aliquid opponere confidunt, nihil equidem dubitem hic reſpondere, quod D. Auguſtinus pacis publicæ cauſa in negotio Africani ſchiſmatis reſpondit. Ecce, putemus illos Epiſcopos, inquit epiſtola 162. qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe; aut ſeſe malos eſſe iudices perpeſſos; quæ vox eſt omnium malorum litigatorum; reſtat adhuc et aliud plenariũ Eccleſiæ vniuerſale Concilium,

Num ideo Ro. Pontifex iudicio excludẽdus quòd eũ reum faciunt Euangelici.

Non tam à Ro. Pontifice condemnati Euangelici quàm à toto orbe Chriſtiano, à cuius conſenſu perpetuo temere diſſentiunt.

Brentius ſtolide ad Chriſtũ appellat, vti & Beza cõtra ipſum.

Non ſolus Ro. Põtifex iudicat controuerſias fidei: ſed illi Dei ſpiritu additi Epiſcopi.

Audiẽdus in Eccleſia Dei filius & quos ſuæ præfecit Eccleſiæ.

II.

Concordiæ ratio ex Africani diſſidij exẽplo Auguſt. epiſtola 162.

Audiãt hęc qui Cõcilij Triden. decreta volent ſub incudẽ reuocata, & quo tãdem modo ad concordiam veniatur.

 vbi

vbi etiam cum ipsis iudicibus causa possit agitari, vt si malè iudicasse conuincantur, eorum sententiæ soluantur, & decreta aboleantur. nihil enim vetat posteriora Concilia in priora inquirere, dogmatáue examinare, vt quæ rectè sunt constituta, firmẽtur, et quæ aliter, minúsue loco ac temporibus apta, castigentur.

III. *Potest enim & nunc inter nos optimus fidei status condi (quod D. Hilarius ad illam Arrhianam tempestatem sedandam, pacemque Ecclesiæ certò reddendam scripsit prudentissimè) vt nec ea, quæ benè sunt constituta, vexẽtur; & quæ malè sunt intellecta, resecentur. Verùm quia Concilium aliquod generale obstantibus nostris peccatis, nondum licet à fratribus Germanis zelo quodam (sed qui re vera non est, vti Paulus de suis gentilibus conqueritur secundũ Euangelij scientiam) contra communem omnium matrem Catholicam Christi Ecclesiam temerè concitatis impetrare, donec Deus Opt. max. meliora. Non parũ intereà, si quid videmus, profuerit conuentus ille religionalis siue Synodicus, siue Imperialis ad sarciendam semelque reducendam illam postliminiò Germanis solidam in vero Christi Jesu Euangelio concordiã.*

Alia concordiæ ratio ex Arrhiani Schismatis exemplo. D. Hilarius lib. de Synodis.

IIII. *Quòd si tales fortassis haud temerè nunc reperias arbitros, quales ex Concilij Carthaginen. & Basilien. præscripto depinximus concordiæ conciliandæ aptissimos, age dum, ne qua concordiæ instaurandæ per nos omittatur ratio, ne ipsos quidem protestantium ordines siue aliquot Principes omnium nomine deputatos recusabimus Catholici arbitros; qui quod suis ipsi viderint oculis (puta concordem Veterum PP. suis in libris disertè ac manifestè cum Catholicorum dogmatibus consensum) ad alios referant. Et si enim fortè illo, quod diximus, Comitio siue Synodo non tota mox coëat pax: hoc tamen certò certiùs efficiatur, vt totus semel perspiciat orbis terrarum,*

Ne qua desit cõcordiæ cõcilian dæ ratio, Catholici non recusabunt ipsos protestantes Principes arbitros: quibus suũ cũ orthodoxis PP. liquidò demonstrabunt in dogmatibus cõtrouersis consensum.

terrarum, ipsique suis videant oculis iudices protestãtes, nullam nec fuisse, nec esse Illustrissimis Ro. Imperij Principibus, aut Confessionis Svvinglij, IV. Ciuitatũ Sacramẽtariarum, Palatinæ, aut Mansueldensis, Osiandrianæ, Illyricanæ, aut alterius professoribus, iustam causam, cur ab vna illa Christi Domini Ecclesia discedendum fuit, aut sacrosanctum suæ Ecclesiæ corpus est sacrilego schismate scindẽdum, lacerandũ, dilaniandum; nedum diutius in eo scelerate permanendum.

Apertis enim illorum Orthodoxorum Patrum, quorum testimonijs vtraque pars se niti, atque pro se stare quæque profitetur, libris ante annos mille conscriptis, commonstrabitur clariss. pleraque omnia protestantium dogmata aut esse nouitia & illis ignota: aut disertissime ab eis damnata, tãquam erronea, atque adeo ipsi etiam Dei verbo contraria, & tanquam Diaboli blasphemias ab eisdem cõcorditer anathemate notata. Quod si semel liquido demonstretur, vt fuerit longe facillimum (modo legitime, benigne, candide ac citra turbam Catholicos audiri detur) quis tam est animi oculis captus, qui non videat apertam esse piis omnibus, quos plurimos etiam inter Confessionistas agentes (Deo gratia immortalis) habet Germania, viam ad constituendam, aut saltem præstruendam solidam Christianæ pacis in vna Christi fide concordiam?

Quam vt minime desperandam orbi toti demonstraremus, atque laboranti patriæ dulcissimæ, immo matri charissi. Catholicæ Dei Ecclesiæ defuisse velle possimus videri, nostra pro virili (sed quantulum fuerit, quod vnius homunculi studium in vastissima isthac nouarum opinionum sylua cædenda elaboret!) in medium adferre nitebamur, quæ ad istud, si non extinguendum, saltem mitigandum aut cohiben-

dum, sistendumue luctuosum, pernitiosum certóque exitiale facere videbantur incendium. Hoc enim germani filij postulat in matrem pietas, hoc nunc boni ciuis flagitat officiũ, omnes semel neruos intendere, manibus pedibusque obniti, ne fraudibus, dolis, sophismatibus, calumnijs, mẽdacijs, testimoniorum adulterijs alma veritas profligaretur, Euangelium euerteretur, germanus Dei Opt. max. cultus, veráque religio Christiana nobis auita hæreditate per manus ab ipsis vsque Apostolorum Christi Iesu temporibus constanter atque concorditer tradita extingueretur, extirparetur, aboleretur.

Quanta Episcopos Catholicos ad vnũ omnes vrgeat necessitas solidã in vna Christi fide cõcordiam instaurãdi, ac quoquo modo conciliandi.

Si enim religionem prodere censendus est, qui infestissimos Ecclesiæ Dei hostes aduersus Dominum & Christum eius acerrimè insurgentes tacitus videt mœnia conscendere, cuniculos agere, propugnacula paulatim occupare; quod suo eos adiuuat silentio, si suo non depellit clamore, si suo non arcet telo, iaculis, gladio, manu: ecquenam nos maneat vltrix diuinæ vocis sententia, quæ nos proculdubio perduellionis, aut profectò præuaricationis reos conuincat?

Hoc igitur nostræ salutis potiss. periculo tanquam aculeo excitatos et si varia deterrerent consilia, cùm operis subeundi magnitudo, tum virium tam ingenij, quàm corporis exiguitas: tamen ad laborem hunc humeris nimio imparem alacriter suscipiendum mirè inuitabat almæ, quod dudum diximus, veritatis victoria coniecturis minimè, vti apparebat, obscuris dubijsue affulgescens, lætaque specie gestiens & applaudens. Cui propugnandæ veritati, atque asserendæ pietati operam hanc, qualis tandem cunque piis censebitur, negare voluisse, aut laborãti Patriæ dulciss. defuisse videri noluimus.

Proinde C. Auguste Maximiliane cùm hac priuata huius laboris opera iam sit via ad subuertendum paricidalis istius

ſchiſmatis Germanici propugnaculum à Statibus Confeſſioniſtarum, ordinibuſque Imperij Ro. illo ſuo ſcripto erectum, ſi non munita, ſed ſtrata aut ſaltem haud obſcurè indicata, nõ difficilis omninò, nedum deſperanda fuerit Germaniæ noſtræ in fidei veræ Chriſtianæ, certóque Euangelicæ conſenſu concordia, modò enim in Concilio generali, Prouinciali, aut Regionali; ſiue Comitio etiam Imperiali legitimis ſub iudicibus, aut ſaltem æquis quales diximus, arbitris res omnis de fidei controuerſiis piè atque Chriſtianè, poſitis ſemel præiudiciis, ſubmotiſque priuatis omnibus affectibus, ſecundum ſcripturas ſanctas (vti publicis Auguſtanorum Comitiorum decretis Confeſſioniſtæ fol. 400. profitētur conſtitutum) & perpetuum conſenſum ſanctorum in Eccleſia Patrum decidenda proponatur: facile admodum A. T. *Maieſtas effecerit, quod totus nunc orbis Chriſtianus ardenter deſiderat, piiſque votis abs te efflagitat.*

Facillima fuerit diſſidiorum cũ proteſtãtibus cõciliatio, modò æqui nobis alicubi contingãt cõtrouerſiarum nondũ conſopitarum arbitri.

Vniuerſa namque diſſidij Germanici à Catholicis cauſa duobus nititur capitibus: nimirum perſonarum vitiis, ſiue morũ abuſibus; & doctrinæ corruptelis: vitæ autem vitia cùm ſint perſonarum, non doctrinæ noſtræ, quæ illa damnat, abuſuſque optat omnes ſemel ſublatos, non iuſta mereantur dici apud prudentes rerum arbitros diſſidij tam ſacrilegi, aut ſchiſmatis impij cauſa. quod adeò verum eſt, vt nõ ſolum Lutherus Com. ad Galat. & Caluinus Com. in Pſal. 14. doceant propter vitia & vitæ impuritatem ab Eccleſia Romana non diſcedendum: ſed Bohemos etiã damnat inexcuſabilis & ſacrilegi ſchiſmatis Lutherus, quòd contra Chriſti legem ſeſe à Catholicis ſiue à Ro. Pontifice ſepararunt, aliudque impium altare conſtruxerunt. Ad eundẽ modum & grauiſſimi iſti Confeſſioniſtarum patroni fol. 93. ingenuè agnoſcunt hanc abuſuum variorum & vitiorum Ec-

Fontes diſſidij, Germanicique ſchiſmatis duo ſunt: Abuſus & doctrinæ corruptela.

Bohemorum ſchiſma Luthero iudice impiũ eſt, & nulla ratione poteſt defendi, vnde neque Germanorum.

NOTATE Confeſſioniſtæ Lutheri veſtri de vobis præiudiciũ, quod eſtis impij & inexcuſabiles quia à Catholica & Ro-

mana receditis Ecclesia.

clesiæ Catholicæ Camerinam nō esse idoneam sui discessus, aut schismatis Germanici excusandi causam: sed eam veram ac legitimam putant ex altero illo sibi esse capite, quod doctrinæ diximus corruptelam. Verùm istam causam esse ficulneam et commenticiã, planéq; nihili, conuētus ille piorum dudum dictus facilè atque omni luce clariùs demonstret.

Quàm facilis sit veritatis victoria penes Catholicos, modò æqui saltē contingant rerũ arbitri, qui ex vero dissidia dirimant.

Cùm enim vtraq; pars veritatē à se stare affirmet, suãq; causam et scripturis, & Orthodo. P. sentētiis asserat confirmatã, adeoq; certò demonstratã, ecquid superesset, obsecro, ad solidã almæ veritatis nostræ victoriã consequendã reliquum, quàm SS. literarũ capitulis vero atq; perpetuo P. Vet. Catholicæ Ecclesiæ consensui per illud aduersariorũ scriptũ obiectis suo germano sensu exponere, veroq; sensui vindicare? Deinde illa quoq; Orthodoxorũ P. promere testimonia nobis suffragantia, hic à versutissimis Anonymis istis Confessionistarũ delectis illiberaliter, immo improbè dissimulata? ne sacrilego dicã fallēdi studio suppressa, dolo malo, immo nefario proculcata, fraudulēto deniq; verborũ adulterio falsata, & manifestissima deprauatione adulterata. Nã inter illa xxiiij. cõtrouersiarũ capita, propter quæ noui isti Confessionistarũ Patroni disertè profitētur sibi atq; Statibus protestãtibus fuisse necessariũ, vt à Catholica discedētes Ecclesia suæ, suorũq; consulerēt saluti æternæ, plurima sunt, quæ nullã prorsus (modò cãdidè, vti Euãgelico pectore dignũ foret, eam accipere dignarentur) cũ Catholicorũ doctrina habēt Antithesin, huius generis est Antithesis 9. de fiducia certa et indubitata promissionũ Dei.

Nõ enim iusta dissidij causa ex abusibus; quod fatētur Confessionistæ: non iusta Schismatis istius causa ex doctrinæ Euangelicæ corruptela, quod liquidò demõstrant Catholici.

Nulla ergo superest legitima Schismatis excusatio, aut iusta extra Ecclesiam Catholicã Ro. emanendi diutius causatio.

Et 14. de Recõciliatione cum Deo per Christum. Nõnulla quæ mero nitũtur sophismate, puta vocis amphibologia, aut Acyrologia, aut captiũcula alia sophistica: vti III. de vno mediatore. Et IIII. de merito ac satisfactiõe filij Dei. Et XII. de

Quatuor classes XXIIII. Antitheseõ facillimã ostendunt cũ protestantibus fore concordiã.

merito

merito passionis Christi, & quædam similia. Plurima verò manifestis nitũtur calumniis, ne improbis dicam, fulciuntur mendaciis, malignísue verborum adulteriis. qualia sunt Antithesis prima de Sanctorum inuocatione, quasi diuinum honorem sanctis asscribamus sacrilegi. Et VII. de libero arbitrio, quòd viribus humanis possit homo conuerti ad Deum. Et X. de discrimine Legis & Euangelij, quòd ex Christo faciamus Moysem. Et VI. de baptismo, quasi eius vnctiones olei (inquiunt) magici, qui omittunt, hostes sint Ecclesiæ censendi. Et XXI. de ministerio docendi quòd nos contemnamus. Ad hæc XXII. de Coniugio, quasi nos illud ceu impurum, prophanum, & pietati Christianæ inimicum traducamus.

Quæ verò supersunt contr ersa dogmata, nullo negotio inter pietatis Euangelicæ cultores concilientur, adhibitis modò Veterum Orthodoxorum Patrum testimoniis, atq; priscæ illius incorruptæ ætatis de doctrina verè Christiana, Apostolica & Euangelica sententiis, quæ vt nostram Catholicorũ doctrinã testantur ipsis consentaneam: ita pleraq; omnia Confessionistarũ dogmata nobis dissentanea conuincũt nouitia atq; fictitia; immo de priscis dãnatissimorum hæresiarcharũ lacunis, fœtidisq; Philosophorũ Camerinis hausta. Ea licet Euãgelij prætextu iã miro quodã hominũ auribus pruriẽtiũ applausu sunt renouata; nõ aliud tamẽ esse, quã meras, nefariasque antiqui illius serpẽtis diaboli in Christũ Jesum inuidi blasphemias, liquebit. Cæterũ, cũ illas Vet. Ortho. PP. sentẽtias multò præclarissimas nobis cõcorditer suffragãtes aduersarij hic dolo malo ac studio minimè sancto, vt modestissimè dixerim, dissimularint, veréq; verbis adulteratis passim deprauarint, ecquænã, obsecro, res solidam distineat aut impediat diutiùs Germaniæ nostræ in vna Christi fide concordiam?

Indubia concordiæ in vna Christi fide sarciẽdæ spes ex malis aduersariorũ artibus: quibus illiberaliter veréque Sophisticè suum alunt dissidium, sacrilegumque fouent schisma.

Si

Si enim Auguste Cæsar Maximiliane, hæc controuersia non de legibus agrarijs, non de stillicidiis, non de herciscunda hæreditate, aut opibus bonísue externis, quorum possessio lubrica, fortuita atque incerta est: non de corporis commoditatibus, quorum fruitio temporaria est, vsuráque breuis: non de Ro. Imperij denique limitibus aut hoc, illoúe regno perituro; sed de salute illa æterna certo cum periculo alterius partis perniciosè oborta, venerit consentaneis Orthodoxorum Patrum Ecclesiæ Catholicæ testimonijs, vti est Augustanis Comitiis decretum decidenda, semelque dirimenda, vicimus, Cæsar A. vicimus. Siquidem & nunc locum habere læti videbimus, Christo benè propitio, quod ait D. Basilius, Ecclesia facile obtineret pacem ab hæreticis, si veritati cedere vellent.

Alia concordiæ sarciendę spes à Comitiorũ August. decreti formula quòd iuxta perpetuum PP. orthodoxorum consensum omnis controuersia sit definienda.

Tam enim manifesta apud illos extant suæ doctrinæ nobis per omnia concordis atq; ad amussim fideique analogiam consentaneæ testimonia, vt nihil ad hanc concordiam semel toti Germaniæ salutariter constituendam, & quasi postliminio tua, ô pacis custos & patriæ parens Auguste Maximiliane, opera reddendam desideretur amplius.

Quantopere C.A. Maximiliano laborandum pro maturanda Ecclesiarũ Germanicarũ in vna Christi fide concordia.

Ad quod prima quaque occasione efficiendum quanta Imperij Ro. suadeat vtilitas, quanta postulet pietas, quanta denique flagitet ac verè vrgeat necessitas, docent illa Syriæ, Africæ, Græciæ, Hungariæ, adeoq; vestræ Austrasiæ vna religionis discordia, domesticisq; dissidiis à stirpe propemodum euulsæ pertristia sanè exempla, lugenda potius quàm iterum cõmemoranda. Hinc sapientissimus iuxta ac pientiss. Imperator Cõstãtinus ille Magnus suos moribundus monebat filios A AA. vt si suum vellet saluum Imperium, religionis curarent vnitatem, & fidei Christianæ suas quisque per prouincias instaurarent concordiam.

Ab exemplis.

A Constantini Magni testimonio atque præclaro testamento: quo filiis A. AA. vnius Religionis concordiam legauit in-

Quod

Quod eo magis tibi C. A. Maximiliane, nunc faciendum, quia isthic non modò vna, vti tunc Arianismus, grassatur hæreticorum factio: sed quòd inter illas, vno licet Euāgelicorum nomine conspirantes, non desint, qui odium plus quàm Vatinianum in te, tuosq; successores omnes Catholicos Imperatores conceperint; quo ad paricidalia instigati consilia cùm superos flectere nequeant, Acheronta mouere satagunt, Turcarumque hostilia tuo Ro. Imperio non minùs quàm Catholicæ Dei Ecclesiæ arma implorare, aut saltem optare non desinunt. quod de Hugenotis Galliæ & Goesseis Belgicæ passim nunc per Germaniam errantium atque exulantium notius, adeoque exploratius est, quàm vt sit memorandum.

Curnam vrgenda & maturanda C. Maximiliano Religionis per Germaniam cōcordia.

Ab execrabili in Turcam studio Hugonotarū & Goesseorum.

Omnibus itaque neruis contendendum, vt vna Christianis Ecclesiis omnibus quàm primum reddatur Christi fides, vna vbique sonet Euangelij verè Christiani vox, vna vbique gentiū doctrina floreat Apostolica eademq; Euangelica.

Ad quam diam vereque almā in fide Christi concordiam nunc Ro. tuo Imperio, totiq; semel orbi Christiano commodissime sarciendam, adeoque restituendā cum Deus opt. C. M. tuæ donarit propitius tam domi post lætas aliquot victorias, tranquillitatem; quàm foris ab hoste potētiss. inducias decemnales, non est sanè occasio hæc oscitāter prætereunda: quæ huic calamitosissimæ Ecclesiarum tempestati paterna in nos Germanos Dei opt. pietate eo potiss. fine videri debet concessa, vereque indulta, vt omnes sua quisque pro virili quæramus, persequamur, pertētemus rationes, quibus certa aliqua, saltem per Germaniam, fiat intereà in Religione concordia, aut indubia ad solidam Ecclesiarum reconciliationem in fidei vnitate sternatur via.

Ab occasione decēnalium induciarum: quas Deus opt. miseræ Germaniæ fortassis postremas cum Turcarum Tyrāno nunc indulgere dignatur, vt interea suę consulat saluti per solidam in vna Christi fide vere Catholica & Euangelica concordiam.

Præsentem enim si nobis de manibus elabi sinamus cōcor-

Cur istæ decennales fortassis postremæ habẽdæ cum Turca induciæ.

diæ conciliandæ occaſionem, verendum erit admodum, ne in poſterum tam commoda ſeſe vnquam offerat; rebus omnibus vnà cum mundi ſenio in deteriora in dies prolabeſcentibus, plurimiſque Euangelicorum in Epicureiſmum adeoq; Athe iſmum degenerantibus, atq; prophanis turbatorum aliquot fanaticorum opinionibus, impiiſque paradoxis Reipubl. vulnera in horas ſæuo dolore amplificãtibus, pacíſque veluti iam coaleſcentis cicatrices Sathanico planè ſtudio dirè exaſperantibus.

Quotidie nouas per hæreſes augeſcunt dira Germaniæ vulnera: & coaleſcẽtis pacis cicatrices per Dauos quoſdam exaſperantur.

Sed quo magis fremit, atrociusque furit ſanguinarius ille draco diabolus, vt fratrum, ita omnis etiam piæ pacis oſor infeſtiſſimus, ſuáque per organa turbulenta oſtraciſmo digniſ ſima, hanc modò non infeliciter per Saxoniam & alibi (Deo laus & gloria) coaleſcentem Eccleſiarum concordiam interturbare atque interpedire ſatagat: eo alacriùs ſimul & accu ratiùs tibi C. A. *Maximiliane vnum hoc ſingulari ſtudio eſt agendũ, vt ſemina hæc almæ concordiæ diuinitus oſtenſa, calitusque tributa foueantur, optatam ad meſſem tua opera producantur, feliciterque tandem cum Dei gloria proueniant. Hoc enim fructu, publica nimirum Germaniæ in vna Chriſti fide concordia, Maieſtatem tuam, quæ iam diu in hoc tota eſt, non fruſtratum iri, cur de benigniſſima Dei opt. pietate confidamus, cauſſæ dudum depromptæ certam quandam in ſpem vt adducamur faciunt. Vnum illud mihi indubiam prope pa rit rei huius glorioſiſſimæ tua opera conficiendæ ſpẽ, quòd tan tos tâmque heroïcos labores hac vna pro re inuicti animi con ſtantia pertuliſti: quodque eiuſdem rei ſanctiſſ. cura te ita diſ cruciari ſcribũt Palatini quidam, vt nõ modò corporis valetudinẽ afficiat; ſed pias etiam nõ raro exprimat lachrymas. Quid, quòd & in illam te ſubinde erũpere vocem aiunt, vo*

Nõ exigua pios tenet cõcordiæ facillimæ ſpes cum Lipſen. & Wittenbergenſes arte ac pietate modò tractetur.

Cur certò ſperãda piis fidei apud Germanos concordia per C.A. Maximilianum ſarcienda.

cem

cem ſanè Chriſtianiſſimo Imperatore digniſſimam, Si Catholi cæ religionis vnitas, atque fidei Chriſtianæ concordia proprij ſanguinis effuſione tibi redimenda eſſet, aut recuperanda; te nihil vnquam tibi ipſi parciturum!

C. A. Maximiliani elogiũ & votum pro Religionis Chriſtianæ concordia: dignũ quod omnes vbique pij aſſiduis adiuuent precibus.

Hæc vota pietatis omnis cæleſtis pleniſſima, vereq; Chriſtiano de pectore promanantia Deus opt. qui & pacis Deus eſt, non poterit non ſecundare: modo nos tempori, & oblatæ diuinitus occaſioni, immo nobis ipſis non deſimus.

Tentetur ſaltem pia aliqua conciliationis ſarciendæ ratio, manus rei huic perneceſſariæ tantum admoueantur; felicior erit proculdubio hominũ opinione laudatiſſimæ huius rei ſucceſſus; Deus pacis aderit fautor propitius ſuæ Eccleſiaſticæ pacis ſtudioſo; qua illi nihil offeras gratius, nihil facias optatius: vt enim exoſa in primis illi eſt fratrũ diſcordia; ita filiorum ſuorum Chriſti Do. ſanguine redemptorũ concordia nihil magis amat. Huic autem cæleſti cõcordiæ inter mortales aut ſtabiliendæ, aut inſtaurandæ qui ſeriam atque ſedulam nauant operam, maxima illos ſequetur merces: nõ modò vt iuxta Euangelium ſint futuri cum pacificis Dei filiis beati. ſed à Deo opt. hac etiam in vita conſequentur, quod ſuis moribundus AA. filiis pius pollicebatur A. Theodoſius magnus. Aliud enim ſub mortẽ Princeps ille verè Chriſtianus ſuis nihil mandauit filiis, quàm vt veram pietatem, ſiue Catholicã religionem colerent, ſartam tectam tuerentur, inuiolatam ſchiſmatibusque indiuiſam cuſtodirent: per quã aſſeuerauit eos pacem habituros, bella ſopituros, hoſtem fuſuros, Trophæa excitaturos, victoriamque à Deo conſequuturos.

Georgius Cedrenus Annali. Nicephor. libr. 13. c. 1.

Quàm verò C. A. Maieſtati tuæ fuerit multò facillimũ hanc vt deſideratiſſimam pijs omnibus, ita Reipub. vtriuſq; ſaluti perneceſſariam Eccleſiarum in Germania pacem compo

Manifeſtũ indubiæ concordiæ cum Proteſtãtibus cõciliãdæ ſpecimẽ hoc in illi Apologetico videas: me

 nere

dò illi suis stare verbis pergant.

nere, omnesque protestantium ordinū controuersias ad piam iuxta Dei verbum, perpetuumq; consensum Orthodoxorum Patrum concordiam reuocare, inde liqueat, quòd de grauissimis controuersiarum capitibus nunc hoc Apologetico ad concordiam aperta est via.

Exempla enim iam dudum allata de Principibus nostræ tēpestatis quæstionibus cū Illustriss. protestantium ordinibus nondū conciliatis, nimirum Sanctorū inuocationis, adorati in S. Eucharistia D. N. Jesu Christi, Panisq; trāsubstātiationis, denique sacrificij propitiationis & precationis prò mortuorū auxilio atque solatio, specimen præbeant absolutissimum iuxta atque certissimū pari Catastrophe, lætissimoq; euentu omnes semel esse cum veritatis victoria, Dei gloria & Ecclesiarum concordia pro Catholicis definienda. Unum hoc modo Deus largiatur, vt vel mediocriter æqui, aut saltem non iniquissimi nobis contingere vlla ratione siue in Concilio aliquo Ecclesiastico, siue Imperiali (si aliter nō liceat) Comitio queāt arbitri: qui nullo partium præiudicio anticipati, aut studio capti, solum id in iudicando sequantur, quod disertissima Veterum omnium Patrum Orthodoxorum verba nobis non minùs, quàm sibi inter se consentanea, suis ipsi videbunt oculis sentire, docere, liquidoque pronunciare. Cuius rei euentū piis omnibus quidem optatissimum, nobis verò singulari zelo desideratissimum cùm Deo opt. max. quotidianis precibus, votisque pro Cæs. V. Maiestate assiduis commēdare nominatim nunquam negligamus, quod nostrarum partiū est, in præsentiarum agamus.

Causas igitur illas xxiiij. Codice Naoburgico pridem An. 62. F. M. Patri Ferdinando A. per protestantes ordines Francfordiæ oblato comprehensas (quas tanti faciunt vt

in oculis totius orbis Christiani eas apud posteritatem de suo erga Religionem & Rempubl. studio in testimonium publicare non dubitarint) nihil efficere ad iustam sui sceleratissimi, veréque sacrilegi à reliquo Christianæ Ecclesiæ corpore schismatis caussationem, aut excusationem, nunc aggredimur, post refutatam istorum anonymorum patronorum præfationem demonstrare.

Hunc autem laborē C. A. *Maximiliane, sacratissimæ tuæ C. M. dedicare visum fuit, quo illi non satis sano protestantium Ordinum Ro. Imperij codici Francfordiæ in tua coronatione oblato ad manū esset antidotō: atq; vt ex hoc, quale quale tandem futurum est, responso Catholicæ nostræ Religionis propugnatorio perspicuū foret, non deesse piis Catholicæ Christi Iesu Ecclesiæ filiis grauissimas simul ac iustissimas, addo & perquam necessarias caussas auitæ suæ fidei Apostolicæ ac religionis re vera Euangelicæ per scelus impium deserendæ, aut nefario cū sacrilegio immutandæ, filij enim sanctorum sumus, & vitam illam ex Catholica Apostolorum doctrina pura & incontaminata, vitáque Christiana expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, neque sese patiūtur vllis Sathanæ astutiis, aut cæcis humanæ doctrinæ præstigiis in aliud transferri Euangelium, quàm ab initio audiuimus, & ab Apostolis toto terrarū orbe Catholica Christi Iesu Ecclesia concorditer diuini instar depositi accepit, conseruauit, posterísq; inuiolatū in hunc vsque diem prodidit, ac per manus fidelissime tradidit.*

Stat enim æternúmq; stabit illud D. Pauli oraculum, Si vel Angelus de cælo euangelizauerit præterquam euangezatum est, aut toto concorditer orbe ab Apostolis initio accepimus, anathema sit, maran-atha. Galat. 1. 1. Cor. 16.

 Vale

Vale C. A. corpore, anima, & spiritu diu nobis incolumis in Christo Iesu, qui constantem atque inuictum te faciat, augeat, tueatur Ecclesiæ suæ Catholicæ miserandū in modum nefario ac sacrilego isthoc Germanico schismate conuulsæ, dilaniatæ, ac tantum non euisceratæ propugnatorem, gloriosissimumque tutorem. Boni quæso consulat S. T. M. quod candido Christianæ pietatis affectu, sanctoque concordiæ Ecclesiasticæ per Germaniam patriam dulcissimam conciliandæ studio, V. matri Ecclesiæ Dei Catholicæ afflictiss. atque calamitosiss. subsidio adferre conabamur.

Dordraco, natali solo, & ob furiosos Goesseorum motus temporaria exilij sede, tutissimoque refugio, ferijs Natalitiis D. N. Iesu Christi E. R. A. LXVII. quem post tristissimas Theomachorū & Iconomachorum tempestates faciat Deus opt. orbi Christiano felicissimum illucescere.

Cæsareæ Ma. vestræ ex animo semper ad omnia in Christo IESV *obsequia deditiss. peculiariterque deuotiss. seruitor Wilbelmus Damasi Lindanus, S. D. Ec. Ruræmonden. Episcopus.*

APO-

APOLOGETICI PRO RELIGIONIS CATHOLICÆ CONCORDIA AD GERMANOS,

TOMVS PRIMVS.

Cuius capitum hæc sunt Argumenta.

CAPVT PRIMVM.



ISSIDIA, quibus nunc vexatur per Germaniam Christi Ecclesiæ, infestissimas esse diaboli machinas, ad conuellendam veræ fidei vnitatem, & disturbandã Reipub. Christianæ pacem: quodque ea, ille dissensionis auctor, nisi meris calumniis ac mẽdaciis, vti olim semper, aggrediatur serere atque fouere.

CAPVT SECVNDVM.

Doctus enim experientia plus se mendaciis suis posse, quàm gladiis, rotis aut ignibus, nunc pristinas suas artes ad perturbandum Christi gregem, strenuè in primis adhibet. Ideoq; similibus ei armis est occurrendum, quibus olim nostri maiores, id est, Apologiam illi opponendam, quæ illius calumnias ac mendacia orbi demonstret vanissima, exemplo maiorum, quorum texitur catalogus.

CAPVT TERTIVM.

Scopus huius Apologetici, est cõcordia in vna fidei verè Euãgelicæ cõfessione: cuius scripti occasio fuit Codex à Protestantibus A. Ferdinãdo, cõtra Con. Tridentinũ An. 62. oblatus, cuius argumentũ perstringitur.

CAPVT QVARTVM.

Argumentum habet huius Apologetici, cum distributione: vbi & frigidissimæ Protestantiũ sui sacrilegi schismatis ratiunculæ expenduntur: An solius pietatis causa, vti aiunt, religionis controuersiam mouerint?

CAPVT QVINTVM.

Caussæ Concilij à Rom. Pontifice indicti, totiusq; obedientiæ recusandæ, confutantur: quæ cum abusibus Rom. curiæ, vitiisq; personarum aliquot nitantur, ipsi Protestantes ingenuè agnoscunt istud argumẽtum inualidum, ineptumque ad suum schisma excusandum.

CAPVT SEXTVM.

Refutatio præfationis Confessionistarum in suam fictitiam doctrinæ, vbi aiunt, Christianæ & Põtificiæ siue Catholicæ antithesin, vbi inter varias calumnias, & illa refellitur, Catholicos S. Scripturas eleuare.

CAPVT SEPTIMVM.

Iudæis & Turcis iniquissimè Catholicos à Confessionistis comparari, quòd deseruerint doctrinã à Prophetis & Apostolis traditã: sed Euangelicos verè Iudaizare ostẽditur, quòd Scripturas nouas habent Iudæorum corruptelis deprauatas, Ecce iuuencula concipiet, pro, Ecce virgo. Rursus: Velut Leo; pro Foderunt manus meas. Item quòd Iudæorum

Finis Indicis Tomi primi Apol. pro Rel. Catholica.

APOLOG.

APOLOGETICI RELIGIONIS CATHOLICÆ TOMVS PRIMVS:

AD SERENISS. ET A DEO CORONATVM MAXIMILIANVM AVSTRIACVM. II.



ARIAE ADMODVM, INVICTISSIME Cæſar A. Maximiliane, infeſtiſſimo Chriſtianorum hoſti Sathanæ ſunt artes, variæ technæ atque ſtrophæ; quibus eos inter ſe committere, ac tranquillam Religionis Catholicæ, vniuſque in Deum fidei Chriſtianæ concordiã indefeſſus contẽdit perturbare. Facilè namq; intelligit veterator ille, cui mens, quaſi callo manus, aſtutia occalluit, quòd fidei concordia, qua, vti Deo Opt. Max. nihil eſt gratius, ita nihil habet ipſe exoſum magis, ſemel cõuulſa & labefactata, de illorum pariter ſalute procul dubio actum foret.

Itaque huc ſingulariter omnes ſemper intendit neruos, totuſque & velis, quod vulgo dicitur, & remis contendit, vt ſalutaris illa concordia, (qua ſalua nullum in dei populum perſequendo ſibi facit operæ pretium) aut ſemel tota diſſoluatur, aut ſaltem perturbetur. Iuſtiſſimis enim de cauſis à D. Paulo malignus ille noſtræque ſalutis æternæ inuidus cacodæmon diſſentionis dictus eſt deus, quòd diſſidiorum omnium; vti eſt fax, & inſtigator; ita religionis impiis opinionibus diſſectæ, aut falſorum dogmatum erroribus perturbatæ, aut ſacrilegis denique ſuperſtitionum corruptelis contaminatæ in primis ſit auctor.

Hæc noſtri temporis diſſidia de dogmatibus infeſtæ ſunt Cacodæmonis machinæ, ad veræ fidei Euangelicæ vnitatẽ diuellendam concinnatæ.
1. Corinth. 14.

Illas porrò ſerendæ diſcordiæ ſuæ technas, vt nunquàm non ab ipſis Chriſtianæ Religionis vſque incunabulis conabatur adhibere callidiſſimè, ita hiſce miſerrimis noſtris temporibus, in quos fines ſæculorum propediem videntur aduen-

tare, admouet impudenter planè atque improbè: quo fit vt verum videre volentibus nullo negotio liceat deprehendere illius machinationes, in piorum omnium perniciem fraudulenter quidem, ſed minùs artificioſè, quàm olim concinnatas.

Artes Diaboli mendacia ſunt & calumniæ, quibus exitialia Eccleſiarũ diſſidia ſtudet ſerere, fouere atque protelare.

Pudendum enim planè, quòd ad confouenda, quæ nunc, eheu dolor, Germaniam patriam dulciſſimam tantum non perdunt, religionis diſſidia nullis legitimis, aut ſaltem aſtuto diabolo dignis vtatur ſtratagematibus; ſed craſſis tantum hiſtoriarum mendaciis, impudentibus vereque putidis ſuperſtitionum calumniis, peruagatis aliquot abuſuum ſycophantiis, impiis veterũ Patrum deprauationibus, ſacrilegis denique diuinarum ſcripturarũ peruerſionibus, adulteriis, corruptelis.

Quæ nunc temporis ita liquidò à piis, doctiſque hominibus, quorum magnum prouentum hæc ætas, Deo gratia immortalis, tulit, orbi ſunt demonſtrata, vt niſi omnes iſti innumeris factionibus contra ſe ipſi diſſecti Euangelici, effrontes eſſent, aut, vt verius dixerim, in reprobam mentem pro iuſtiſſimo ſuæ ſuperbiæ blaſphemiæque in Deum Opt. Max. ſanctos, ſacraque omnia meritò traditi, ſuum agnoſcentes errorem, ad vnam illam, à qua ſunt temerè nullaque iuſta cauſa egreſſi, redirent Catholicam Chriſti Eccleſiam.

Hanc Cacodæmon ille, cùm nunquam totam ſeſe ſperet poſſe labefactare, nedum euertere, quòd firmioribus ſit fulta præſidiis, immo inuictis ſtet nixa columnis (puta diuinis Chriſti Ieſu ſui præſidis vigilantiſſimi promiſſionibus, atque cæleſtibus propugnationibus) quod toto de corpore diffidit, aſtu rem gerere cogitans in parte callidus aggreditur, ſi hac fortè via ſuccedat melius atque felicius.

Experientia enim factus doctior cùm omnia ſua conſilia, omneſque ſtrophas tam variè, tam aſtutè in euertendã Chriſti Eccleſiam olim intentatas videat fuiſſe fruſtra, nihilque ſeſe ſanguinariorum Tyrannorum gladiis, rotis, ignibus promouiſſe, perdolenter id ferens, ad cognatas, ſibique germaniſſimas, ac ex nomine proprias tandem relabitur calumnias, (ab his enim ceu ſuis notis Diabolus iam olim nomen cõmeruit) quibus ſæpenumero plus proficere ſibi gratulatur, quàm aliis vllis cuniculis in illius euerſionem affabrè conſtructis.

Hinc

CAP. I I.
Vſus Chriſtiani Apologetici.
Eximios ſemper veritatis patronos contra diabolicas hoſtium Eccleſiæ calũnias Chriſti Spiritus excitauit.

HINC ſanè & diuinus Chriſti Ieſu Spiritus Chriſtianæ Dei Eccleſiæ doctor ductorque in omnem veritatem certa Chriſti voce promiſſus, non aduerſus vlla alia pernicioſa inui di Diaboli machinamenta, tanto ſtudio ſua electiora cæleſtis gratiæ organa prouidus excitauit, & armauit, quàm ad depellendas refellendaſque immanes illas Chriſtianis obiectas calumnias, impudentiſſimaſque ſycophantias.

Has ſiue ille contra Chriſtianos ſpargere fuit auſus publicè, hoc eſt conuitiatrice populari voce; ſiue priuatim, id eſt virulẽta blaſphemi vnius aut Apoſtatæ, aut impij lingua; ſemper à Chriſti ſpiritu quidam præclari viri Antagoniſtæ, qui ſua pro virili illas refutando vaniſſimos ſuos in fumos redigerẽt, fuerunt excitati.

Ex re namque fuit populi Chriſtiani adeóque publicæ omnium ſalutis, meras illas fictitiaſque calumnias refellere, quò omnibus illibata in conſpicuo eſſet veritas, vniuerſiſq; liqueret, quàm immeritò contra ſalutarem omnibus Chriſti Ieſu Religionem omnes impudenter inſilirent, mundus imperitè ac prorſus temerè obganniret, Diabolus inuidè rabideque inſaniret.

Magnum in primis attulit Chriſtianæ Religioni cum defendendæ, tum propagandæ præſidium ſanctiſſimorum Chriſti Martyrum conſtantia, neruos, trochleas, cataſtas, equuleos, laminas candentes, gladios, ignes, feras diriter perpeſſa: ſed haud minus equidem crediderim DD. Cyprianum, Iuſtinum, Quadratum, aliaque noſtræ Catholicæ Chriſti Eccleſiæ columina, Chriſtianæ rei publ. lumina, ſcriptis ſuis Apologiis fundandæ tutandæque fidei profuiſſe, quàm ſanguine ſuo pro illius veritate conſtabilienda & quaſi conſignanda profuſo.

Nõ minus profuiſſe fundãdæ Chriſti Religioni Patrũ Apologias, quàm cõſtantiſſimorum Chriſti Martyrũ certamina & coronas.

Nota quidem erat Paganis, Deique veri ignorantia cæcis ethnicis Chriſtianorum conſtantia: ſed quia illos ſuis infandis pro ſceleribus, immanibus flagitiis, paricidiis, Thyeſtæis conuiuiis (quæ ſibi nefaria iniuria falſòque per diaboli ſatellites obiecta purgare nondum licebat) meritò pati habebant perſuaſiſſimum, ipſis nihil profuit; donec exorto tandem Dei Opt. ſingulari gratia veritatis iubare, viderent non tam à no-

Quàm fuerint necessariæ olim piorũ Patrum apologiæ.

ctis tenebris abesse solem, quàm conficta illa, vulgataque passim crimina à Christianorum moribus, & vita multo innocentissima, vereque integerrima & numeris virtutum omnibus absolutissima.

Quid tandem effecerint, ac quomodo Christianis populũ atque principes reddiderint æquiores.

Cùm igitur ex hac cæca vereque inuida veritatis caligine implacabile vulgi odium in Christianos, non modò incrudesceret, verùm etiam exardesceret atque in flammas subinde excandesceret ac desæuiret, (vnde quotidiana illa vox, Christiani ad Circum, Christiani ad Leones! nõ pluit; caussa: Christiani!) tandem eò res est per doctorum hominum Apologias deducta, vt quos prius ceu maleficos oderant, & persequuti fuerant, adeoque exterminarant & excruciarant, posteà conspecto veritatis lumine, tanquam religiosos veri Dei cultores amplecterentur, suspicerent, exoscularentur. Hinc tam frequentes olim extitêre, quæ maximo sanè Religionis Christianæ detrimento pleræque interciderunt, priscorum Christianorum scriptorum Apologiæ, D. Quadrati Apostolorum discipuli & Athenarum Episcopi, Aristidis, & Apollonij Senatoris Romani: qui primo ferè illo Christianæ Ecclesiæ seculo suis Apologeticis implacabiles veræ pietatis hostes studuerũt Christianis reddere benigniores simul & æquiores.

Anno Dñi 100. vide Euseb. Cæsarien. Beda in Martij collegio.

Anno 160.

Certè D. Iustinus Antoninos A A. fratribus nostris Christianis placatiores reddidisse suis Apologiis etiamnum extantibus, veteres commemorant historiæ.

Anno 180.

Tertullianus quoque non parum tranquillitatis suo peperit Ecclesiæ Apologetico, omni doctrinarum genere Romanæque antiquitatis gloria laudatissimo. Celso grammatico, quod hominum genus singulari semper inflatum contra veritatem fastu eam exagitare, vti & nunc, misereque diuexare pro ludo duxit, doctissimus ille Adamantius Origenes occurrit. Porphyrio Philosopho Apostatæ, cui anteà Malcho Tyrio fuit nomen, respõdit Euseb. Cæsariensis, teste Sozo. lib. 3. c. 23. Similiter & Methodius Tyrius Episcopus, vti ait Freculphus Lexouiensis. Huc in primis facere equidẽ crediderim aureũ illud D. Cypriani Chronicon, quod de Christianæ Ecclesiæ temporibus eum edidisse scribunt quidam.

Anno 240.

Anno 260.

Anno 280.

Ceterùm vbi iam Sathanas inualescere Christianos suo maxi-

maximo tormento inuidiæque aculeo sensit, acriùs in ipsos totum semel immittere moliebatur orbem. Vnde post illam à iuratissimo atque omnium infestissimo Christiani nominis hoste Diocletiano, prodigiosæ supra omnem fidem superbiæ atque libidinis monstro, tanta rabie fuit concitata persequutio, vt intra dies 30. Christianorum passim perierint ad XVII. milia. Nocte Natalitiorum Christi XX. M. Christianorum in templo combusta. Templa omnia simul die sancta Parasceue clausa, mensæ sacræ subuersæ, libri sacri, sacraque biblia omnia omnibus tantum non extorta, exusta, perdita: omnem vbique plebem edictis sæuissimis vereque sanguine scriptis, potiss. verò Romanum populum Idolis suis stultis in nostros trucidandos instigauit. Verùm hanc tempestatem, qua nulla vnquam fremuit hactenus sæuior, aut intemperiis furiisque desęuiit æstuàtior, D. Lucianus Antiochenus presbyter Apologia collegæ Maximiano A. oblata, mitigare studuit, teste Euseb. lib. 9. c. 6. Certè tanta post annos 14. persequutionis sese rabidi isti, vereque sanguinarij canes gesserunt modestia, vt fluentem ac propè stagnantem Christianorum sanguinem sistere vltrò non dubitarint: re ipsa edocti verum esse quod scripsit D. Hilarius, hoc est Ecclesiæ propriũ, vt tum vincat, cùm lęditur: tum intelligat, cùm arguitur: tum obtineat, cum deseritur. Similem planè in modum, cùm eadem ferè tempestate Philosophos gloriæ ventrisque mancipia Sathanas ad Christianos lædoriis, impiisque blasphemiis proscindendos per Bythiniam potissimum (vbi florebat Christiana Religio) concitasset, occurrit aureo verius, quàm lacteo suæ orationis flumine Lactantius Firmianus, Cicero noster Christianus non immerito veteribus dictus: quo sic exarescere fecit aculeata illa maledicorum sophismata, nugasque Sophistarũ blasphemas, vt viri literati de Christianæ Religionis doctrina rectè informati, & ad veritatem persuasi, omnibus suis passim Idolis atque Idolomaniis supremum dixerint vale.

Anno 303. D. Optatus li. 3. Euseb. lib. 8. cap 1. & seq. Niceph. 7. cap. 6

Lib. 7. de Trinit.

Post Constantini pacẽ Symmachus Theodosio & Valent. AA. libellum supplicem pro exoleta propemodum Idololatria offerre non erubuit: cui magna eloquentiæ laude responderunt Ambrosius & Prudentius. Insanis etiam Ro. populi

Anno 390.

Idololatriæ adhuc ſtolidiſſimè dediti clamoribus ob cladem ab Hunnis Wandaliſque acceptam, expilationemque diuinitus inflictam aureo illo De Ciuitate Dei opere reſpondit Auguſtinus: Iuliano etiam Apoſtatæ ex profeſſo Chriſti Euangelium inſanis calumniis oppugnanti, ſcriptiſque auguſtalibus calumnianti intrepide D. Gregorius Nazianzenus reſpõdit, & poſtea D. Cyrillus Alexandrinus.

CAP. III. Concordia in vna fidei verè Euangelicæ cõfeſſione ſcopus eſt huius Apologetici.

HORVM ſacratiſſimorum Patrum noſtrorũ veſtigiis inſiſtentes, pretium operæ nobis facturi videbamur, ſi pro conciliãda Germaniæ dulciſſimę patriæ noſtræ concordia, quam inuidus ille ſalutis humanæ hoſtis Diabolus annos nunc ferè totos 50. diſſoluit, diſrupit, ac ſine vlla propemodum conciliandi ſpe, diſſipauit, Apologiam ſcriberemus: quæ chariſſimis fratribus noſtris Germanis liquidò ſemel demonſtret cauſas, cur à nobis diſceſſerunt, aliudque altare impiè contra vnum illud diuinitus ab Euangelij exordio totum per orbem poſitum erexerunt, nouumque Euangelium, quod ab illo Apoſtolico, germanoque aliud eſt, ſectati fuerunt, non eſſe aut legitimas, aut veras; ſed meras pleraſque omnes calumnias. Eas autem per antiquum illum Draconem ſua de arte calumniandi diabole iure dictum oſtendemus eſſe quidem compoſitas; ſed flagitioſa hominum aliquot mentiendi ſpiritu afflatorum opera in orbem pernicioſe certoque Germanis exitialiter conflatas, temerè effuſas, atque petulantiſſimè proiectas.

Quas vbi tacitus mecum reputo, quantum damni paſſim incredibilis dederint, quotidieque fratrum infirmiorum pectoribus infligere non deſinant: indigniſſimum hoc equidem loco & vocatione hac ſum ratus, planè obmuteſcere. Vti enim Lactantius ille Firmianus impiis Philoſophorum Bythiniæ in Chriſtianos blaſphemiis ad ſcribendum fuit extimulatus: ita & nos pari quidem zelo, licet facundia & doctrina longiſſimè impares; hac tamen pro virili impudentiſſimas, planeque prodigioſas refellendas duximus calumnias, vaniſſimaque improborum aliquot Sophiſtarum commenta, piis lectoribus, veritatis, quàm contentionis amantioribus perſpicuè demonſtranda.

Has autem contra Catholicam Chriſti Ieſu Eccleſiam nunc

nunc temporis intemperantissimè effusas calumnias si omnes persequi esset animus, nasceretur opus Iliade maius (cùm in Diaboli castris veram Dei Ecclesiam hostiliter oppugnantibus sectæ nomen Euangelicorum sibi sumentes atque prętexentes reperiantur plus minus centenæ) nos ingenuo Germaniæ matris suauissimæ amore inducti in præsentiarum illas tantum perstringemus, quas superiore biennio Status Imperij Romani per Germaniam, Ordinesque Augustanæ Cõfessionis suo nomine D. Augusto Ferdinando P. M. exhibuerunt, protestantes sese iustissimis rationibus à Ro. Ecclesia ac necessariò discedere fuisse coactos.

Quas dum Illustriss. Germaniæ Principibus, omnibusque Imperij Ro. ordinibus demonstrare pro hac virili elaborantes annitimur aut falsas, aut illegitimas ad schisma diriter faciendum, aut sacrilegè continuandum; Christum Iesum rogamus supplices, vt nostri omnium, quos suo redemit sanguine precioso, misertus suo illustret spiritu: quo docti falsum vitemus, verum videamus, atque in omnẽ ducti verè Christiani Euangelij pietatem id ipsum dicamus omnes, vnum Deum ore vno, concordi animo, eodem spiritu colamus, adoremus, celebremus, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis: quæ est in vnius, eiusdemque fidei Euangelicæ ab exordio per Apostolos, eorumque Discipulos in Germania nobis traditæ confessione atque concordia. Inuocatio.

Quam rem immensi sanè ponderis (vnde & humeri ferre isti flaccidi recusabant) aggressuri eundem Christum Do. fidissimũ Ecclesiæ suæ Catholicæ sponsæ singulariter dilectiss. patronum obnixi obsecramus, vt sui promissi memor illam propugnare, defendere, tueri, suamque causam ore hoc, licèt polluto varieque cõtaminato, agere ne dedignetur; tantumq; suppeditet nobis propitius cum ingenij, quod veritati aptè exponendæ sufficiat; tum piæ affectionis studiique verè pacifici, quantum caussæ huius sanè grauissimæ pietas postulat; tantum denique largus aspiret orationis perspicuæ, quod defendendę, illustrandæ, exornãdæ toti caussæ sit idoneũ & aptum, ad æternam sui nominis gloriam, solidamque GERMANIAE patriæ nostrę dulciss. in vna Christi IESV fide verè Euãgelica concor-

concordiam ſemel quacunq; tandem ratione poſtliminio reſtituendam atque inſtaurandam.

Occaſio huius Apologetici.

Prodiit ſuperiori anno Sereniſſ. D. Imperator A. Maximiliane, ſcriptum à delectis aliquot Theologis & Conſiliariis (vti ſeſe appellant) politicis, nomine Ordinum Imperij concinnatum, quod in conuentu ſuo Noaburgico, Anno 61. quidam conceperunt, & conſequente An. 62. Francofurti Maieſtati Cęſareæ Auguſto Ferdinando Auſtriaco Parenti (quando illic T. Ma. fuit electa & coronata) obtulerunt pro defenſione ſinceræ (vti aiunt) & Orthodoxę ſuæ Religionis. Opus hoc cum propriè aduerſus Synodi Tridentinæ pridem anno 42. indictæ, ſed poſt interpellationes varias anno tandem 60. continuatæ reſtitutionem ſit in lucem emiſſum, vt quidem titulus profitetur, Cur Electoribus, ceteriſque Imperij Principibus & Ordinibus Auguſtanæ Confeſſ. illa neque ſit cognoſcenda, neque adeunda, maxima ſui parte iam in præſens vſum non habet. Siquidem illa iamdudum eſt abſoluta (vocatis quidem omnibus potiſ. Germanis & Anglis, ſed venire cunctantibus atque recuſantibus) plurimaſque dudum orbis Chriſtiani per prouincias, Italiam, Hiſpanias, Belgicam prouulgata, & in vſum paſſim legitimum adhibita.

Opus grauaminum Germanię contra Concilium Trident. A. Ferdinando Francfordię anno 62. Electorũ & ordinũ confeſſ. Auguſtanæ oblatum.

Recuſatæ Synodi Tridentinæ cauſſæ cur hîc nõ tractentur.

De iis ergo cauſis recuſati Concilij Tridentini in præſentiarum nihil attinet dicere; quas fuſiore oratione commemorant, de loco, aut indicti Concilij auctore, de Epiſcoporum iuramento, de Concilij perſonis, pręſide: quod hæc aliàs fortaſſis tractanda venient opportunius. Cęterum quia ſibi cauſas inueniſſe dicunt idoneas, adeoque neceſſarias cur à Papatu (vti Catholicam inuidioſè appellare placuit Eccleſiam) diſcederet, ac veritatem tandem (vti ſibi plaudunt miſeri) agnitam, pro ſua virili parte contra Pontificios, id eſt contra conſtantes veteris, auitæ, orthodoxę, Apoſtolicę, vereque Euangelicæ fidei profeſſores aſſererent, nos eas minimè eſſe veras, aut diſſidio ſacrilego, ſchiſmatique iſti pernicioſo & paricidali faciendo demonſtrabimus idoneas, aut legitimas, nedum neceſſarias.

Quidnã agant Proteſtãtes illo grauaminũ opere A. Ferdinãdo oblato, cuius hîc extat epitome.

Totum illud recuſatæ Tridentinę Synodi opus ingens ſanè crepitantibuſque verborum ampullis diſtentum tres in par-

tes

tes est distributum: quarum prima demonstrare conatur Augustanæ Confess. Status nequaquam reformidare aut refugere censuram, aut vera iudicia Orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ.

Secunda rationes habet, cur Imperij Ordines neque hoc à Ro. Pontifice indictum Concilium Tridentinum, neque cætera, quæ deinceps sit indicturus quandoque Concilia agnoscant.

Tertia declarat qualia nam sint ea Concilia & Ecclesiæ iudicia, quæ semper publicis in conuentibus Imperij Principes & Status Confess. Augustanæ se reuerenter agnoscere testati sunt & etiamnum agnoscere profitentur.

Prima & Tertia illius scripti aduersus Conc. Tridentinum partes cùm aliud postulent tempus & locum; quòd liquidum sit eos totius orbis Christiani refugitasse hactenus conuentum sua in Germania collectum, data licèt fide publica, qualem vel ipsi postulassent, atq; nouam Concilij Christiani formam Ecclesiæ hactenus ignotam sint commentati; in præsentiarum secundam aggredimur expendere; vbi lectores omnes per Christum oro atque obtestor, vt posito nonnihil anticipatæ opinionis præiudicio allatas hic rationes æqui boniq; consulant, attentique examinent, vtram in partem perspicua rei veritas indicij momentum inclinet.

QVOD igitur ad secundam scripti illius partẽ attinet, quę causas habet cur neque impium Pontificis, vti appellant, Concilium Tridenti restitutum, neque cæteras Ro. Pontificis auctoritate indictas Synodos agnoscendas aut comprobandas sibi, rectè arbitrentur, eam hoc ordine in trutinam pensiculatè reuocabimus, vt initiò leuissimo perstringamus brachio grauissimas istas Confessionistarum tantopere prædicatas causas, ob quas sibi (vti videri volunt) iustę ita sentire videntur. CAP. IIII. Argumentum huius Apologetici cum distributione. Tomo primo hæc aguntur.

Deinde illam vnam omnium octauam potissimum expendemus causam, quæ cùm sit palmaria & omnium princeps 24. habet capita: quibus Religionis Christianæ Doctrinam demonstrare conatur à Catholicis impiè deprauatam atque sacrilegè adulteratam. Ex quibus pio cuique Christiano Lectori nullo liquebit negotio nullam esse imperij Statibus, aut Tomo 2. ista tractantur.

Protestantes verè istius perniciosi schismatis esse apud Deũ reos: cuius nullã habere legitimã causam hîc liquidò cõuicũtur; idq; armis à se in A comitio præscriptis.

Frigidæ Protestantiũ excusatiunculæ de facto schismate confutantur.

Augustanæ Confessionis Ordinibus iustam causam, quæ ipsos apud æquos rerum arbitros tueatur: nedum in horribili illo diuino iudicio, quod citra omnem fiet personarum acceptionem, defendat innoxios, sacrilegique istius schismatis excuset inculpabiles: quòd ab vna illa vera Dei Ecclesia Catholica temerè discesserint, aut pertinaciter ab eadem emaneant diutius. Nulla enim esse iusta causa queat, quæ vnum illud Christi Iesu corpus, quod omnium consensu illa est vna Catholica Dei Ecclesia toto terrarum orbe cõcorditer iam olim diffusa, nefario diuidat schismate, aut diriter discindat, aut patricidaliter sacrilegas in partes discerpat. Cuius facinoris plus quàm parricidalis isti Confessionistæ huius scripti Ordinum Imperij nomine editi auctores sibi conscij, initio patrati sui iam pridem toto à Christi grege per Germanias schismatis inuidiam frigidis aliquot ratiunculis eluere student.
„ Nunquam se suósue subditos, inquiunt, patriam, salutem ciuium, coniuges, liberos, posteritatem denique omnem tot periculis obiecturos; nisi intelligerent se debere Euangelio & verbo Dei fidem atque obedientiam. Summum Deum etiam liquido, aiunt, testari possunt, nullius quæstus, aut emolumenti, sed solius officij Deo & pietati debiti ratione, hanc se Religionis cõtrouersiam tantis difficultatibus & periculis, assiduis laboribus & ærumnis defendendam suscepisse.

RESPONSIO LINDANI.

Causæ istæ cùm sint omnium schismaticorum communes, nulla singulari opus habent refutatione. Ipsæ namque sese iugulant perspicuè, liquidoque confutant. Quis enim fuerit idoneus sacrilego schismati apud Christianos auditores prætextus, nisi Dei causa, Euangelium, pietas, Dei verbum? Hanc causationem cùm omnes omnium sectarum Euangelici sacrilegis suis factionibus plus minus, vti diximus, centum intra annos hosce 50. miserrimè, vereque perniciosè atq; adeò sibi, vicinisque suis ad vnum omnibus exitialiter prætendant; quid fuerit operæpretium persequi fusius? omnibus enim liquet quàm non possit vna hæc causa esse legitima, quam sibi

quælibet factio tam à Syneuangelicis suis, quàm à Catholicis dissentiens sumit, ac veluti idoneam prætexit. maximè cùm res ipsa loquatur quanam veritate illa secunda Confessionistarum nitatur caussa, sese nullius (inquiunt) quæstus, aut emolumenti ratione hanc Religionis controuersiam tantis laboribus & ærumnis defendendam suscepisse. ” ” ” ”

An non hoc ipsum occinat Angliæ rex tot tantisque locupletatus Ecclesiasticorum agris? tam ingentibus ditatus monasteriorum opulentiss. prouentibus? tam immensis quondã auctus Ecclesiarum opimarum thesauris? Age verò, dicat nobis, quæso, Gallia, superioribus diebus Euangelicorum latrociniis vastata, direptionibus spoliata, expilationibus euiscerata, an aliud illi fuerint Euangelici professi, quàm isti nunc iactitent Confessionistæ?

An quæstus cõmodiue caussà factum Schisma Germanicum.

Cęterùm quantas isti possideant opes Ecclesiasticas, quantos monasteriorum agros, fundos, siluas, vineas: quanta pupillorum & orphanorum latifundia, in præsens nihil attinet dicere: cùm pauperũ, viduarum, orphanorum clamor ad Dei Opt. Max. aures iam diu peruenerit. Quibus non quotidiana modò eleemosyna piis à maioribus relicta, immò suis à parentibus & heris legata, est semel è dentibus faucibusq; per Germanias erepta: sed etiam agendarum iniuriarum aut repetũdarum actio publico Imperij Germanici Decreto, sanctissimoque Comitij Augustani (si Christo placet) Recessu siue Statuto suspensa, submota, sublata.

Quãta iniuria pauperibus, orphanis & miseris per Germaniam facta.

Si nullius quæstus aut emolumenti ratione hanc nouę Religionis controuersiam susceperunt, ecquid auitæ Religionis iura tot, tamq; insignium Cæsarum AA. legibus, diplomatibus, suarumque adeò manuum autographis constabilita, olimque sancita, mutant, euertunt, abripiunt?

Iure experiri lęsis & vim passis non licet in Germania.

Cur saltem legibus experiri læsos publicamque vim passos non patiuntur vel suo in Cameræ Imperialis iudicio, vbi vel pro libidine contra maiorum instituta quales voluerint, præficiunt? Si Canonum Ecclesiasticorum iure stare nolunt, cur ciuilibus saltem suorum maiorum Cæsarum & Augustorum sanctiss. legibus rem decidi non sinunt? cur sacratissimas Imperialis Cameræ constitutiones valere, aut locum auctorita-

temq́ue habere non ferunt, donec publica Chriſtiani orbis lege, aut ſaltem Germaniarum iudicio legitimo res fuerit de-
„ finita? Atqui ſolius officij, inquiunt, Deo & pietati debiti ra-
„ tione Religionis controuerſiam ſuſceperunt.

An ſolius pietatis ratione Proteſtātes Religionis controuerſiam mouerint.

Quod ſi verum eſt, cur bona, poſſeſſiones, agros, redditus, vineas, prouentus, monilia & opes inuaſerunt, diripuerunt, diſtraxerunt? Cur in hunc vſque diem à ſacrilegiis impias non cohibent manus? Cur monaſteria inuolare atque ſuo aſſcribere fiſco non deſinunt? Cur priſcos ſuorum auorum colonos pacificè poſſidere non patiuntur, ſed affligere & vexare pergũt? an iſta in Deum atque homines impietas, vllam apud pios inueniat officij Deo ac pietati debiti rationem? Sed cùm hominibus iſtorum (ſi verum dicere liceat) ſacrilegorum rationem reddere nequeant, ideoq́ue leges maiorum (quarum voce iam ſunt tantorum flagitiorum rei conuicti & damnati) antiquarunt, viderint quamnam tandem Chriſto iudici ſint olim reddituri rationem, quando vnicuique veniet redditurus mercedem, pro eo vt quiſque in corpore geſſerimus, ſiue bonum, ſiue malum.

CAP. V. Cauſſæ Cōcilij à Ro. Pontifice indicendi omnis recuſandi cō futantur.

BELLIS iſtis, atq; grauiſſimis, vt ſibi videtur, probè defuncti rationibus, ob quas ſacrilegum ſuum ſchiſma defendendum putarunt, iam cauſas aggrediuntur enumerare, ob quas rectè arbitrantur indictas à Ro. Pontifice Synodos ſibi non agnoſcendas, aut comprobandas.

Fol. 24.

Septem initiò enumerant cauſas, quibus ſemel orbi de-
„ monſtratum volunt Imperij Germanici Ordines ſeſe nullo
„ iure Ro. Pontifici ſubditos, nullamq́ue ipſi in illos, aut Eccle-
„ ſias eorum, vel Eccleſiarum miniſtros competere ſuperiorita-
„ tem, non magis in ſpiritualibus quàm temporalibus. non poſ-
„ ſe denique hunc vllo iure Concilium indicere, aut ipſos, ſiue
„ ipſorum ſubditos requirere, nedum illuc vocare.

Fol. 92.

Ideoque iure optimo Status Auguſtanę Cōfeſſionis à Pon-
„ tificia auctoritate diſſentire atque diſcedere, nulloque iure
„ teneri, vt ſe iſti conuentui Tridentino, cuius & caput & mem-
bra coniuncta pleraque omnia ſimoniaca hæreſi confecta ſunt, Curtiſanis, Prębendarũ mercatoribus, Cynædis, Atheis

Cur Ro. Pōtifici parēre aut cō iūgi nolint proteſtantes.

vlla

vlla ex parte submittant aut coniungant. Quibus de criminibus, aliisque, Idololatria, falsa doctrina, superstitione ethnica, cultus diuini prophanatione ac deprauatione, compluribusque fœdissimis vitiis, quibus Papam cum suis Cardinal. Episcopis & Prælatis eidē in Concilio Tridētino adhærētibus totus scatet, publicè in libero atq; Christiano Cōcilio sese accusaturos recteq; prosecuturos ac probaturos affirmāt: queādmodum apud Imperij acta iam olim solenniter sunt testati. ,, Fol. 31.

Quibus ex Confessionistarum dictis, immò meris maledictis liquet, ipsos hoc scripto non tam de Conc. Tridētini susceptione, quàm de tota semel Rom. Pontificis obedientia pugnare. Causam enim ex hypothesi passim ad thesim reuocāt, suæque ab illius obedientiā discessionis excusationem atque Apologiam orbi Christiano exhibent, quemadmodum videre est his in verbis & aliis eiusdem scripti plurimis. Fol. 32.

Causam ex hypothesi ad thesin trāsferūt aduersarij.

Quapropter nos, vti diximus, actione de Conc. Tridentini nunc habiti ac plerisque in prouinciis Christianis dudum publicati, exequutioniq̀ue passim traditi, in aliud tempus aliumque locum reposita, donec Deus Opt. sanandæ tandem Germaniæ nostræ opportuniora propitius prouidere dignabitur remedia (quod ô vtinam citò fiat, priusquam hoc dissidiorum fidei incendium acrioribus inflammatum facibus nos ad vnum omnes absumat!) in præsens illam tantum tractabimus thesin, ad quam sæpissime isti confugiunt Confessionistæ. Ea autem, vt plus lucis rei sane difficillimæ accedat, talis est.

An grauamina aduersus Synodi Tridentinæ restitutionem seu continuationem à Pio 4. indictam ab Electoribus cæterisque Imperij Principibus & ordinibus Augustanæ Confessionis opposita, verè atque legitimè ipsos apud Deum excusent, aut tueantur innoxios, & inculpatos, vt à Catholica discedāt, emaneantque diutius à Christi Iesu Eccesia; cui totus semper orbis Christianus præsertim, ac vice Christi præpositum agnoscit Romanæ Ecclesiæ Episcopum?

Thesis Protestātiū, quā passim probatā ac stabilitā moliuntur toto illo opere, An Ro. Pōtifici obediendum?

Cùm enim Confessionistæ illam hypothesin, an Concilio Tridentino, à Ro. Pontifice indicto, sit obediendum, subinde ad hanc transferant thesin, an Ecclesia Christi Catholica, cui

 præest

præest Rom. Pontifex, audienda sit, illique tanquam pastori obediẽdum: nos illis, quas dudum diximus, commoti causis huic generali thesi pro hac quidem virili respondere satagemus, deliberaturi an Imperij Ordines illis grauaminibus hoc scripto Francfordiæ exhibito rectè ac meritò nitantur ad sacrilegum istud Ecclesiæ Dei schisma diutius propugnandũ?

An. 61.

Non ipsis cum Ro. Imperij ordinibus hîc agẽdũ, sed cũ ipsorum patronis anonymis.

Qua in deliberatione sanè ardua, maximique in primis momenti nemo, precor, existimet nobis hîc negotium fore cum ipsis Imperij Ordinibus; sed cum ipsorum delectis, vti aiunt, Theologis & Consiliariis, quos sese Anonymi vocant, politicis. Illorum enim patrocinium cùm sese suscepisse profiteantur, meritò suorum dudum maledictorum, immo fraudum, fucorum, dolique mali causam postulantur; illiberalissimis enim istiusmodi artibus perbelle instructi, sibi de oppugnata penes Catholicos Euangelij veritate conscij, quam studio dissimulant atque alicubi scientes deprauant, calumniis manifestis exagitant, mendaciis adulterant, imperitos fallere, aut in manifesto impietatis errore conantur detinere.

Hoccine igitur est, ô vos delecti Confessionis Augustanæ ordinum Theologi & Consiliarij Politici; hoccine est Religionis istius Euangelicæ causam agere, tot diris conuitiis Rom. Pontificem proscindere? tot lœdoriis infamare? tam acri flagitiorum, sacrilegiorũ, adeoque Atheismi etiam sale defricare?

Fol. 32.

Atqui hæc, inquient illi Ordines Imperij, in actis suis publicis dicunt. Dicunt quidem, sed vestris decepti fraudibus; vestris effeminati, immo efferati adulationibus; vestris inflammati adeoque excæcati calumniis; vestris deniq; seducti mendaciis & præstigiis fascinati.

Quod vt Solis luce orbi Christiano demonstretur clarius, agite viri boni, omissis istis vestris conuitiis, quibus mulierum more hîc niti maluistis, quàm, vti viros Germanos decuisset, grauiter atque moderatè rem momenti longè sanè grauissimi agere; illa tantum in præsentiarum expendamus crimina, quę Religionis orthodoxæ adulterium, corruptelamque Catholicis exprobratam propriè tangunt. Quæ enim vitæ quorundam obiicitis errata, vt nihil ad Religionem Christianam pertinent, cùm similia, immò si vestro Luthero fidem hîc quoque

quoque habendam vultis,tetriora vestris à gregibus,adeoque ducibus atque capitibus minimè sint aliena: ita illorum commemoratione nihil aliud efficitis, quàm vt vos illo de grege esse declaretis: de quibus Spiritus sanctus ait, Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Porrò hæc vitæ vitia tam longo catalogo, à Confessionistis recensita, an verè in Ro. Pontifice, eiusq; subditis hæreant, necne, aptiùs tum videbitur, quando hæc Status Confessionis Augustanæ in Christiano, quod Platonicè somniant, Concilio ad Kalendas Græcas indicendo publicè persequentur atque probabunt, vti folio 32. affirmant. licebit enim tunc reis ipsis suam agere causam. Nos hîc vnius iustitiæ, non auaritiæ, aut alicuius vitij: nos veritatis vnius Euangelicæ, non improbitatis cuiusuis humanæ: nos Religionis denique Christianæ, non superstitionis prophanæ, aut ethnicæ idolomanias suscipimus patrocinium.

Proinde istis elanguidis conuitiorum armis masculo atque Germanico pectore indignissimis, intereà dum illos obiectorum dudum criminum conuicerint reos, ad muliebrem militiam relegatis, grauissimas illas expendamus causas: quibus affirmare nõ dubitarunt Confessionistæ, sese persuasos, adeoque (si verum dicunt) coactos, rectissimè, iureque optimo à Pontifice Ro. dissentire atque discedere.

De grauissimis, inquiunt folio 31. criminibus, Idololatria, » falsa doctrina, superstitione ethnica, & cultus diuini prophanatione ac deprauatione, de simoniaca hæresi & compluribus aliis vitiis fœdissimis, quibus Papa ipse suis cũ Cardinalibus, Episcopis & Prælatis adhærentibus totus scatet, publicè est postulãdus atque accusandus. Grauissima sanè isthæc sunt crimina, quæ si reuera à Rom. Pontifice atque suis, vti affirmatis, Cardinalibus, Episcopis, Prælatis adhærentibus sunt designata, iustissima fortè videatur esse occasio ab eo dissentiendi, atque adeò, si vlla ex causa fieri rectè ac legitimè possit, discedendi: quod tamen Lutherus vester Com. ad Galatas cap. 6. disertissima negat oratione.

Caussæ negatæ Ro. Pontificis obedientiæ.

Hîc igitur attentissimi consideremus, an obiecta ista crimina in Ro. Pontifice, Prælatisque ipsi adhærentibus verè hæreant, vereque tam immanium sacrilegiorum sint ipsis abs

Confes-

Confeſſioniſtis Theologis & Conſiliariis politicis cõuicti rei? Quæ ſi probarint vera, rebuſque ipſis, non verbis tantùm, aut clamoſis affirmationibus more rabularum forenſium, demonſtrarint ita ſeſe habere, meritò ſanè grauiſſimam de Religione ac pia Eccleſiarum emendatione cauſam Ro. Pontificis Prælatorumque ei adhærentium iudicio & cenſuræ ſubiicere cũctari cuiquam videantur.

Cur Cõfeſſioniſtæ cauſam ſui ſchiſmatis ob vitæ impuritatẽ Romanæq; Curiæ improbitatẽ ſibi deſerẽdã, eiq; nõ fidẽdum exiſtimarint.

Hoc autem totius controuerſiæ caput aggeſſuri Confeſſioniſtæ octauam adferentes recuſati Concilij Tridentini cauſam, cùm ipſos priorũ conuitiorũ meritò ſuppœniteret, immò planè diſpuderet, quòd conſcientia mille teſtes rectiſſimè dicta, ipſis conteſtabatur fortè non tam eſſe illa vera, quàm ſunt peruagata, aut paſſim vulgò dictitantur: plurima quoq; à maleuolis aut confingi, aut exaggerari atrociora, quàm res habeat: fieri quoque poſſe, vt contra ſuos dominos clemẽtiſſ. obiiciantur ſimilia, pariaque ſi non maiora, expilationes, adulteria, ſacrilegia; nihilo tamen minus manere dominos à Deo Opt. Max. populis præpoſitos atque præfectos. Nihil nunc de magiſtrorum noui Euangelij moribus minimè Euangelicis dicimus, quum de illis non minùs verè, quàm de nobis (prô dolor) illud habeat locũ quod Lactantius de philoſophis ſcriptum memoriæ reliquit, diſerti ſunt in cõuitium ſuum. Nullis enim magis opus eſt magiſtris viuendi. Hæc inquam, ſimiliaque cùm ipſos Confeſſioniſtas dudum pudenda intemperie ferocientes ad modeſtiora verba tandem vltrò reuocaſſent, poſtquàm ſuam bilem, choleram, & quicquid furens in Ro. Põtificis odium ſuggeſſiſſet animus, temerè euomuiſſent, ita folio. 92. ad ſe reuerſi ſcribunt, vno verbo irritum facientes, quicquid præclarè illo criminationum in Ro. Pontifices iactato catalogo efficere conabantur. Vt maximè hæc, quæ diximus, inquiũt, crimina fœdiſſima, ambitus, ſimoniæ, expilationum ac ſacrilegiorum nundinationum taciti præterire velint ſtatus, & ſilentio tegere (vt ex Canoniſtis plerique gnathones Papiſtici faciunt &c.) ac diſſimulare, conſiderantes Eccleſiam in hac vita conſtare non tantum ex peccatoribus, ſed miſceri ei velut in noſodochio aliquo omnis generis morbidos, hypocritas, Epicureos, &c. tamen alia & prioribus longe

Potiſſimũ ſuũ argumentum à Ro. Curiæ abuſibus ipſi Proteſtantes docent inualidum, ineptumq; ad ſuũ ſchiſma excuſandum. Fol. 92.

Ita & Lutherus com. ad Galat. & Caluinus cõ. in Pſal 14. ne-

ge

ge grauiora impedimenta & causæ iustissimæ obstant, quo minus Papale hoc Concilium pro Christiano Ecclesiæ orthodoxæ iudicio agnoscere & approbare, & grauissimam de Religione ac pia Ecclesiarũ emendatione causam eius iudicio & censuræ subijcere queant. gantes propter vitia & vitæ impuritatẽ ab Ecclesia discedendum aut vnitatẽ scindendam.

Ita quidem hoc in loco, tantum Conc. Tridentini recusationem, vti admonuimus, respicere videntur: verùm in huius 8. causæ epilogo ab hypothesi ad illam dudum commemoratam thesin recurrentes ita concludunt.

Quæ cum ita sint, inquiunt fol.193. cumq; verbi diuini testimonijs edocti status & Ordines qui sunt Cõfessionis Augustanæ, certò ac manifestè deprehendant, Papatum varijs erroribus & superstitione multiplici obruisse ac prophanasse Ecclesiam Dei, necessariò faciendum sibi existimarunt, vt propter gloriam Dei & salutem suam suorumq; discederent à Papatu, & veritatem agnitam pro sua virili parte cõtra Pontificios constanter pro eo ac decet adsererent. Fol.193.

Hunc quidem in modum post allata 24. doctrinæ capita, quibus Papatus (vti loquuntur) id est Catholicæ per Occidentem Dei Ecclesiæ ministri, Episcopi & Pastores veram Dei Ecclesiam obruerint ac prophanauerint, octauam suam recusati Conc. Tridentini causam concludentes, quorsum totum spectet scriptum, liquidò demonstrant: nimirum vt sibi alijsque persuadeant, iustis de causis sacrilegũ istud sese schisma commisisse, altareque nouum nouo cum Euangelio erexisse contra totam ac vniuersam Christi Ecclesiam Catholicã toto reliquo nostro orbe (Deo Opt. gratia immortalis) incolumem, & apud noui orbis incolas felicissimè hoc sæculo à Germanorum defectione plantatam atque efflorescentem.

Veniant ergo in medium illa 24. capita, quibus sese demonstrasse iactitant, Catholicos, quos dicunt Pontificios, Ecclesiam Dei varijs erroribus & superstitione multiplici obruisse: immo vti superius fol. 31. aiebant, falsa doctrina, superstitione ethnica, cultus diuini prophanationę, ac deprauatione, adeoq; Idololatria prophanasse: quò pijs vbique omnibus semel liqueat, hanc criminationem, non rei veritate nixam, sed meris hominum mendacissimorum calumnijs in Catholicæ Dei Ecclesiæ

inuidiam esse diabolico astu malignissimè fabricatam atque odiosissimè confictam.

Aggressuri suam actionem generosi isti Confessionistarum, vti aiunt, delecti Patroni, lepidam hanc præfatiunculá octauæ recusati Conc. Tridentini causæ, quæ est ob errores doctrinæ, præmittunt.

„ Vt maximè, inquiunt, vitia Ro. Pontificis velint silentio te-
„ gere, dissimulare ac taciti præterire; tamen obstare prioribus
„ illis grauiora impedimenta, quò minùs Concilium Tridenti-
„ num pro Ecclesiæ Orthodoxę iudicio agnoscere, aut approba-
„ re, eiusque censuræ causam de Religione subijcere queant.

Agnoscebant sanè ipsi aduersarij Anonymi suamet ipsa, vti diximus, conscientia teste conuicti, indignam esse multoque ineptissimam schismatis istius causam vitia & abusus, quos dicunt, personarum aliquot; cùm Religionis causa à professorum vita sit longè diuersissima: sed bonam fidem hic suis dominis Imperij Ordinibus deputati isti nec Theologi, nec consiliarij Politici præstiterunt. Neutiquam enim rem sibi probè cõpertam vsuque omnibus notissimam dissimulare decuit, Catholicos iam pridem & voce publica in Comitijs varijs Germanicis, & scriptis adeò publicis in Concilio delegatorum Cardina lium anno 35. Paulo III. exhibitis ingenuè agnouisse, plurima
„ esse gnathonũ & adulatorum aulicorũ adulatione in hanc mi
„ seram faciem deturpata atque deprauata. Neque silentio fuit
„ prætereũdum, Adrianum VI. Germanum Pont. Ro. publicæ salutis suæ patriæ Germaniæ cupidissimum & voce & scriptis ad Imperij status Anno 22. datis professum, A planta pedis vsque ad verticem capitis non esse toto Ecclesiæ huius sęculi luctuosissimi corpore sanitatem: sed varios posteà per Rom. Pontifices varia & legitima etiam esse malis plurimis abolẽdis re-
„ media cùm prudenter inuenta, tum passim magno piorum
„ omnium gaudio, plurimoque fructu adhibita.

Bonam fidẽ in suis delectis istis Patronis protestantes meritò desiderent.

Catholici plurima nostris in vita moribus & Ec. gubernatione iam pridem agnoscimus & deploramus vitia necessariò castiganda & reformanda.

Cæterùm hæc vitiorũ Ecclesiæ remedia vtvt successerint, & quo euentu adhibita fuerint, hîc parui refert commemorare. Illud nullus inficias iuerit, non defuisse, neque in prę̨sentiarum deesse, qui oratione minimè simulata grassantes in Eccle sia pestes, vomicas, & carcinomata studuerint salutariter excin

dere

dere atque medicari: modò manum admisissent medicam, quam nostra vitia morbiq́ue inueterati depellere vsque non desinunt.

An Galliæ morbos dissimulauit R. V. Iohannes Picardus? an Aulicis aut Episcopis vnquam ita fuit adulatus, vt omnes non sale perfricaret, eáque vteretur libertate & parresia, qua Theologum Parisiensem decebat? Sic & Claudius Ceselius lib. de Republ. Galliæ, ad viuum Gallicanæ Ecclesiæ curanda detexit vulnera.

Piorũ querelæ de moribus vitaq́; non Apostolica apud Catholicos.

Per Italiam verò an non Isodorus Clarius disertissimis suis orationibus Ecclesiæ Italicæ deplorat calamitatem? Nunc verò cernas, inquit, maximam Episcoporum partẽ ne in diœcesi quidem sua residere: nedum vt suo prædicandi munere fungantur. Difficilè enim quatuor in tota Italia nunc reperias, qui appellari Pastores iure possint, & pascendi officium subire dignentur. Et post interiecta paucula: Nullam aliam ob causam tam alienus Christianus populus ab Euangelicis legibus viuit, vt penè Christianæ professionis regula sublata ê medio sit, quã ob desides, negligentesq́ue Pastores: qui omnia videntur scire præter id quod scitu deberet esse præcipuum, id est, pascendi Christi gregis officium. Rursus ne quis momus insulsè garriat, hulcus non satis fuisse tactum; Nos verò, inquit, qui omnia ex Diametro contraria factis Pauli agimus, non pertimescimus iudicium Dei, & declaramus rebus ipsis nos vel non arbitrari futurũ Christi iudicium; vel ita obstupuisse, vt seruemur, nec ne, nihil referre putemus. Obnixè rogandus est Deus, vt meliorem nobis mentem inspiret, ne Christi greges tam miserè vagi ferantur ac disperdantur. Veras quidem malorum præsentium causas R. P. Isodorus Clarius demõstrat: sed ipsos fontes nondum attigit; quos si repurgare, & ad SS. Canonũ exequutionem instaurare Deus Opti. dignaretur (vti iam bona pios tenet spes ex S. D. N. Pij V. studio sanctissimo) facilior esset concordiæ Germanicæ conciliatio. hos ergo malorum huius infælicissimi nostri sęculi fontes plurimi aperire, mæstisq́ue vocibus deplorare non destiterunt.

R. D. Ruevvardi Tapperi querela de tollẽdis Ecclesiasticorũ abusibus.

Iam pridem enim similes piorum querimonias passim fuit & legere & audire: quarum illa in primis non est silentio prætereun-

tereunda, quam pietate non minùs clarus, quàm rara eruditione præſtantiſſimus vir R. D. Ruewardus Tapperus præceptor meus immortali memoria celebrandus in publico Louanienſi Academiæ theatro magna quondam dicendi libertate commemorauit.

Orat. habita in D. Lindani & al. licentia. Ann. 1552.

Reuerſus ex Concilio Tridentino per Mauritianos interturbato Confeſſionem Saxonicam eodē anno 52. editam refutaturus, ita collapſos Eccleſiæ Chriſti mores, eiuſq; labes deplorat, Oratione nondum in lucem data. Quam cum alijs aliquot eiuſdē præclari viri ſcriptis ex autographo iam dudum prælo apparamus.

Auaritiæ omnes ſtudent.

Omnes ſua quæ ſunt.

Omnia corrupta.

Romani diſpenſant ſuper quibus Chriſtus ipſe non poſſet.

Prouiſiōes Ro. monſtroſæ.

Omnia venalia

In Rom. Curiæ adulatores & excuſatores excuſationum in peccatis.

O memorabilē ſanctiſſimi ſenis parrheſian! quam vtinā Romanenſes gnathones, famelicíq; Curiarum canes audirent, eíque obedirēt.

De abuſibus verò & lapſu diſciplinæ, ait, quibus totum Eccleſiæ corpus eſt contaminatum, modò non agitur cum aduerſarijs, & agnoſcimus ipſi atque ingenuè cōfitemur, gemimus, & deploramus in corpore Eccleſiæ à planta pedis vſque verticem capitis non eſſe ſanitatem: & corrupta eſſe omnia, præſertim in ſtatu eccleſiaſtico: omneſque ſua quę ſunt, quærere, & ſtudere auaritiæ, quodque per diſpenſationes ſuper beneficiorum pluralitate, & ſuper alijs plurimis, ſuper quibus nec Chriſtus ipſe diſpenſare poſſet, per commendationes Abbatiarum & Epiſcopatuum, per monſtroſas prouiſiones, regreſſus & retrogreſſus omnia eſſe venalia, ſub prætextu tamē, neſcio cuius cauſæ rationabilis, quæ ex more, nullo facto examine, prętexitur; & bullis inſeritur ſemper, multamque propterea in capitibus Eccleſiæ damnabilem eſſe hypocriſim. De his inquam cum aduerſarijs non agimus. Sunt enim tam notoria hæc vitia, vt multum cæcutiat, qui ea non videt: & inſanus ſit, qui vel excuſare conatur. Quis enim non videt quantus ſit ſacrorum Canonum circa diſciplinam neglectus? quis nō gemit nullam fieri illorum executionem, niſi circa beneficia, & ea quæ ad forum pertinent contentioſum? quorum ſi ſeuera eſſet obſeruatio; & Prælati, quorum eſt eos exequi, ſuo non deeſſent officio, in his quæ mores & diſciplinam concernunt, florentiſſima eſſent omnia in Eccleſia, nec opus eſſet vniuerſalibus cōcilijs ad reformandam Eccleſiam Epiſcopos fatigare, & cum magna ſalutis iactura ad ſeptennium oues ſuis deſtitui Paſtoribus: nec ex Concilijs fructus vllus expectatur, quàm diu defuerint, qui conclu-

conclusa & definitiones zelosè exequantur. Sic quidem pius ille senex & homo Dei: vbi coràm Tridenti in Concilio Romanensium mores perspexisset, praximque illam Romanam ad explendam diram vnius voraginis ingluuiem de incorporatis misellis monasteriolis, de facie per Germaniam didicisset: lachrymantibusq; oculis vidisset, vti subinde nobis hisce de rebus in quotidiano conuictu commentantibus magno pij animi gemitu, ardentissimisque ad Christum Iesum Ecclesiæ sponsæ suæ seruatorem suspirijs solet commemorare. Sed modum facio querelarum atque satyrarum cõtra Ecclesiasticorum negligentiam, vitam impurissimam, moresque improbissimos passim effusarum.

Hæc atque id genus alia si anonymi isti grauaminum Germanię corrasores, verius dixeris eruscatores, Clementiss. D D. suis Roman. Imperij Principibus & Ordinibus præclara sanè indole, mira modestia, singulari prudentia prędítis candidè exposuissent, procul dubio æquiores sibi Catholica illos experiretur Ecclesia, maior atque certior etiam conciliandæ concordiæ omnibus quidem pijs optatissimæ, sed istis exosæ, spes affulgeret. Rectè de isthoc hominum genere apud Poetam conqueritur ærumnosa Hecuba fucato amico Vlyssi exprobrans,

Studiũ Catholicorum in abusus reformandos dissimulant apud suos Dominos callidi isti Cõfessionistarum patroni: quò sic dissidia foueant.

ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ᾽ ὅσοι δημηγόρους
ζηλοῦτε τιμάς (μὴ δὲ γινώσκοισθέ μοι)
οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
ἣν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

Ingratum genus vestrum, quicunque forenses
Admiramini plausus (vtinam non essetis mihi cogniti)
Qui nihil pensi habetis amicos lædere,
Modò dicatis grata multitudini.

Euripid. Hecuba ex versione Gasp. Stiblini.

Qui plebeculæ captãt gratiam, magis grata q̃ vera student dicere, vel cũ Principum iniuria.

Ita enim funesto illo placendi tunicato popello dissidiaque alendi tenentur studio, vt execrabilem illam vocem quosdam vel publicè iactare non pudeat: Ex bello aliquid, de pace nihil, plerisque nimirum foret esuriendum.

Nobilissimum rabularum forensiũ Apophthegma.

Sed his querelis alium in locum reiectis, Deum Opt. Maxi. supplices precati, vt Germaniam suam quondam sibi dilectissimam, plurimorumque verè piorum merito nondum totam deploratam miseratus, eius Principibus, vel vnum donare di-

Veræ dissidiorum faces pseudoprophetæ & auari consiliarij politici.

gnetur Michæam, qui omnium pseudoprophetarum, falsorumque cùm doctorum tum cõsiliariorum (quibus funestissimum istud schisma acceptum ferre debemus) ora obturet, ad illa præclara istorum Confessionistarum 24. capita veniamus: quibus ostendere conantur, Ro. Pontificem, & Pontificios doctores veram Dei Ecclesiam impia doctrina prophanasse, & à vero Christi Iesu per Idololatriam seduxisse Euangelio.

CAP. VI. Refutatio præfationis aduersariorũ in suas 24. Antitheses doctrinę, quam dicũt, Christianæ & Pontificiæ. Fol. 93.

OSTENSVRI delecti illi Cõfessionistarum patroni à Pontificiis siue Catholicis Episcopis & Doctoribus multos errores grauissimos, dogmata noua, falsa inquiunt fol. 94. & manifestè impia, cultus etiã Idololatricos & magicę superstitionis plenos in Ecclesiam esse inuectos, hunc in modum suam aggrediuntur actionem. Est enim in confesso, inquiunt fol. 93. &
„ negari nullo modo potest, Pontifices & Monachos non tãtum
„ densissimis & impiis tenebris inuoluisse Religionem: sed pror
„ sus nouum doctrinæ genus inuexisse in Ecclesiam, plenũ hor-
„ ribilium errorum, impietatis & Idololatrię, quodque cum di-
„ uinis Prophetarum atque Apostolorum scriptis manifestè &
„ ex diametro pugnat.

REFVTATIO LINDANI.

CRIMEN sanè ingẽs & nefariũ atq; in primis sacrilegum, si vllum aliud: sed quod Catholicis falsò affingitur. Siquidem tam longè à nobis abesse iam pridem variis, iisque luculentissimis Catholicorum scriptis est toti orbi meridiana luce clariùs demonstratum, quàm à cælo abest terra, vnde huius calumnię aculeum nihil exhorrescimus, non solum Christo iudice, quia isti suorum sibi errorum & doli mali fraudisque improbæ conscij suoque iudicio condemnati, alium istarum controuersiarum in terra Iudicem vix vllum recipiunt, vti fol. 385. diserte satis protestantur: sed piorum etiam omnium æqua censura freti. In confesso esse inquiunt, quòd Catholici scriptis tam luculentis, publicis vocibus, quotidianis concionibus falsum, fictitium, calumniosum demonstramus. Negari nõ posse aiunt, quod omnis Catholica pernegat Ecclesia toto adhuc orbe incolumis, præter istum Aquilonis angulum; vnde Propheta

Fol. 385. Solus Christus (inquiunt) & verbũ eius scripto traditum præsideat, &c.

omne

omne prophetauit venturum malum, id est, illum olim Antichristum, cuius isti Confessionistarum patroni anonymi tantum nō illustres sunt lucernarij, indubiique præcursores, olim proditurum. Sed tam manifestariæ calumniæ rationes audiamus. Sic enim euestigio subtexuerunt:

Etenim Pontificij Scriptores, aiunt, & Doctores horribili "
audacia Sancta Prophetarum & Apostolorum scripta eleuan- "
tes eò impudentiæ progrediuntur, vt de Bibliis sanctis palàm "
ausint dicere incerta ea esse & ambigua prorsus, præceptorem "
mutum, materiam litis, literam mortuam, literá quæ occidat, "
obscuram, dubiam, cereum nasum, regulam Lesbiam, plum- "
beam, Sphingis ænigma, & quæ res ambiguas atque dubias pa- "
rum explicent, minimumque necessaria sint Ecclesiæ. "

Refvtatio Lindani.

Atrox profectò crimen, quòd extrema quæque mereatur supplicia, æternáque odia, si vel per suspitiones probabiles à Catholicis commissum vnquam conuincatur.

Verùm cùm sola nitatur aduersariorum affirmatione, nulloque legitimo demonstretur testimonio (quòd nequaquam omisissent aduersarij, vt in aliis ferè omnibus fecêre perdiligenter criminationibus, nisi probè sibi fuissent conscij, audacter hæc confingi in nos posse) leuiter ipsum perstringemus, cùm vel sola inficiatione aboleatur, donec euicerint. Catholicos aiūt sancta Prophetarum & Apostolorum eleuare scripta, "
sed in istos ipsos Euangelicos quadrare hoc scelus deprehen- "
dent pij Lectores, qui rem candidè perspectam habuerint.

Vtri, obsecro, eleuant sacra Prophetarum & Apostolorum scripta, an Catholici, qui omnia & vniuersa iustæ reuerentiæ officio piè suscipiunt, nihil reiicientes, nihil decurtātes: an Euangelici isti noui, immo semi-christiani, qui ad priscorum exempla hæreticorum sacrum Scripturæ diuinæ Canonem à tota hactenus Catholica Ecclesia per annos minimum 1200. traditum reiiciunt, sententias nō paucas, Iudęos, Samaritanos, aliosque Religionis Christianę hostes imitati, deprauant, mutilant, libris totis accidunt, violant, adulterant, prophanant?

Vtri eleuent sacrosancta Biblia?

S. Scripturas eleuant & reiiciūt Cōfessionistæ.

An

Epiphan.hæref. 69 August.de hæref. Tertull. contra Prax. Fol. 226.

An negare audent à Luthero, Pomerano, aliisque conscelcratum istud perpetratum sacrilegium? An non Epistolam ad Hebræos cum Arrianis reiecerunt? An non Epistolas Petri & Iohannis eiusdemque Apostoli Apocalypsim cum Alogianis & Marcionistis de Canone auulserunt? An non D. Iacobi Apostoli Epistolam Lutherus blasphemè appellauit stramineam, & quæ spiritus nihil haberet Apostolici? Sed hæc olim fuère in controuersia, inquias, certas non reiecerunt Scripturas. Immo non aliunde vnus liber præ altero certa habendus est scriptura, quàm ex vnius Ecclesiæ Catholicæ iudicio, quæ & reliquas omnes affirmando & maioribus nostris per Concilia legitima tradidit, nobisque tradit, ac in finem vsque mundi suis tradet filiis: à qua eadem Ecclesia & aduersarij quosdam libros recipiunt Canonicos. Cuius censuram dum in iis quos audent dicere Apocryphos recusant, manifesti sese cõuincunt plagij, quòd nullo argumento alio indubitato, quàm Eccl. nostræ præiudicio suis libris, quos dicunt sese pro Canonicis ac diuinis recipere atque colere Scripturis, diuinã vindicare queant auctoritatem. Hunc igitur in modum aduersarij sacra Prophetarum & Apostolorum reiiciunt scripta, alij cum Luthero D. Iacobi epistolam, reclamante Caluino; alij cum Caluino Ecclesiasticum; alij cum Castalione Canticũ Canticorum, reclamante Beza; alij Epistolam ad Hebræos, aliis reclamantibus Syneuangelicis; Apocalypsim alij: quibus ad vnum omnibus tota refragatur constanterque reluctatur tanquam plagiarijs & sacrilegis nostra Ecclesia Catholica, illius dudum obiecti criminis nequaquam affinis, nedum rea. Testatur D. Augustin. viros Christianos ea semper fuisse modestia, vt de Scripturarum Canone non audeant iudicare; quorum in numero nos Catholici quotquot vbiuis gẽtium degimus, profitemur: sed effrenes isti excusso semel Domini iugo, diuinum Scripturarum Canonem suo non solum substernunt iudicio temerario; sed sacrilega etiam pro libidine audent mutare, variare, deprauare, adeóque, si Deo placet, decurtare. Quid? quòd suo cum Luthero Confessionistæ Biblia appellare non verentur librum hæreticorum?

Calui. præfat. in epist. Iacob.

Beza in vita Caluini.

Contra Cresconium. 1. cap. 31.

Vide apud Surium in Chro.

Non ergo Catholici sacrosanctam Scripturam eleuamus, aut

aut facimus dubiam; qui totam atque vniuerſam Canonibus Conciliorum antiquiſſimorum definitam recipimus reuerenter, atque colimus religioſe: ſed Euangelici ſacrilegum iſtud facinus re vera peccaſſe deprehenduntur: dum priſcos aliquot phanaticos ſequuti magiſtros, in dubium reuocāt, an libri ſint Canonici, quos abhinc annis plus minus mille ducentis Chriſtiani vbique omnes pro indubitato Canonicis ſunt venerati. Sicut enim Manichæi vetus reiecerūt teſtamētum: ita Euangelici non exiguas eius partes: Samaritani Prophetas: iſti Danielis aliquot capita, Eccleſiaſticum, Baruch, alioſque libros diuinos, Machabæorum denique libros, ſicuti non recipit Iudaica, ita nec Lutherana Synagoga.

Quoſnā Euangelici ſequātur magiſtros in nouo ſuo Scripturarum Canone.

Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 18. cap. 36.

Quòd ſi ſacras iam penitus inſpiciamus Scripturas, quas aduerſarij iſti Euangelici nobis cum Catholicis concorditer etiamnum ſuſcipiūt, Deum immortalem quàm flagitioſa illis in conuertendis, immo peruertendis deſignarūt ſacrilegia, addendo, detrahendo, immutandoq́, deprauando, atque, vt vno dicam verbo, ſacroſanctum Dei verbum humana doctrina, immo Iudaica perfidia, adeóque diaboli mendacijs adulterando! nihil dum hîc ago de Euangelicorum commentariis; ſed de puro puto Dei verbo, quod imperitis pro ſacris venditāt Scripturis. Si immania iſthæc flagitia in S. Scripturas non deſignarunt Lutherus, Melanchthon, Brētius, Bucerus, Oecolampadius, Bullingerus, Beza, Caſtellio, pœnam talionis nequaquam deprecabor.

Iam dudum luculentiſſimis allatis rerum ipſarum exēplis, illos noui Euangelij auctores tanta diſcordia diſſectos, tam immani diſſidio inter ſeſe diuiſos, tam irreconciliabili deniq; bello odioque planè Vatiniano ſibi exitialiter tumultuantes, iſtius planè conuicimus, prorſuſque reos peregimus ſacrilegij. Conſulatur libellus noſter dudum populo editus Dubitātius à Conſtantio libris .3. inſtructus, & alter doctioribus ſcriptus Ruewardus, ſiue de animi tranquillitate. Quæ ne quis fortè deſideret, nobiliora aliquot emblemata in mediū adferre non fuerit inconſultum.

Libro 1. cap. 10.

Nouam Lutherus orbi inuecturus de ſola fide iuſtificante doctrinam, vt nouitatis declinaret inuidiam, auſus eſt homo

Nouam ſuam doctrinã vt ſtatueret Lutherus, nouũ deprauauit Teſtamẽtum.

Rom. 3.

Allein durch dẽ glauben.

Kumpt nur erkentnis.

ſacrilegè temerarius ſuum *ſola*, & *ſolum* paſſim diuinis Pauli Apoſtoli ſcriptis infarcire. Ad Ro. enim cap. 3. quod Apoſtolus Dei ore dixit: Arbitramur hominem per fidem iuſtificari, ille ſuo contaminauit veneno, adtexens ſolùm per fidem iuſtificari. Sic & illud, Per legem cognitio peccati, vt ſuam fictitiam fidem, quam dicebat ſpecialem, verbi Dei prætextu palliaret, ſuum adtexuit ſolũ. Rurſus ca. 4. Lex enim iram Dei operatur etiam illud ſuum adfinxit Solum, quò ſuam imaginariã fidem imperitis venditaret commendabiliorem. Rurſus quia fidem ſuam finxit ſemper eſſe charitati coniunctam, ideóque bonorum operum fæcundam, contrà quàm docet Euangelium, Iacobus & Paulus; hinc D. Iacobi locum, Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, Lutherus deprauauit, Oſtẽde mihi fidem tuam cum operibus.

Quò & alia ſua paradoxa vel in ſpeciem ſtatueret, illud Pauli Ro. 3. Omnes enim peccauerũt, deprauauit ad fictitiam ſuam peccati permanentiam ſtabiliendam, Omnes enim ſunt peccatores, contra Pauli ſententiam: qui nos peccatis ablui, liberari & ſanctificari docet per Chriſti ſpiritũ in Baptiſmo donatum.

Ohn anſtoſs.

Quòd D. Iudas ait: Qui poteſt vos ſeruare ſine peccato, Lutherus peccati amicus, vindex, & patronus, quia peccati mancipium, peruertit, ſine oppugnatione. Quò verò ſemel omnem Chriſtianis eriperet perfectionem, quod Paulus hortatur, Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare; Lutherus omnis probitatis hoſtis vocem perfecti omiſit: quæ tamen in omnibus conſtanter legitur codicibus tam Latinis quàm Græcis.

Act. 3.

D. Lucas annotat ſolemnem orandi morem Apoſtolos obſeruaſſe, vt certa hora Deum colerent Petrus & Iohannes, aſcenderunt (inquit cap. 3.) ad horam orationis nonam, quę nobis eſt tertia pomeridiana, quę Veſperarũ dicitur: Lutherus orãdi ſtudio infeſtus deprauat, peruertens eos in tẽplum aſcendiſſe ad orandum ſub horam nonam: quę lectio vt libertatem orãdi habet; ita nullum habet certi temporis orationibus dediti veſtigium: quod tamen ad Dauidis & Danielis exẽplum Apoſtolos obſeruaſſe eſt indubitatiſſimum.

Hunc

Huncin modū ſacrilega impietate in Eccleſiaſtica dogmata graſſatus Lutherus ſui ſcopi haud quaquam oblitus prodidit, quorſum nouam inuexerit Germaniæ Euangelium. Quod enim D. Paulus ſcribit aduerſus Iudaizantes, quòd Chriſtum docebant ſecundum elementa mundi, Lutherus pulchram ſibi hîc nactus videbatur occaſionem, leges omnes Rei publicæ ſemel euertendi; ideóq; verba deprauat, ſecundum leges mundi; quò tumultuantibus ruſticis, ſuo claſſico dicendiq; facibus ad rebellionem excitatis, ſpecioſum ex Dei verbo adferre putaretur patrocinium. Nach der vvelt ſatzunghen.

Hæc in præſentiarum ſufficiant, vnde pius Lector facilè ex vnguibus Leonem. Quæ tam manifeſtò Lutherum conuincunt Scripturarum corruptorem, vt vel Oſiandriani magna ex parte Lutheri diſcipuli nihil vereantur pronunciare plurima Scripturarum loca à Luthero magna (inquiunt) falſitate « & dolo interpretata, quemadmodum Cōfeſſio Manſveldenſis « commemorat.

Sed huius amplius confirmandi labore nos iam pridem liberauit Confeſſio Tigurina, quæ anno 45. edita Lutherum ait fol. 112. ſuo à Zwinglio conuictum eſſe ſcripturarum adulteratorem.

Quod adeò indubitatum eſt, vt Bucerus ipſe (cui vos Confeſſioniſtarum Patroni ſcio plus habetis fidei) Dialogo contra Melanchthonem ſcribere non dubitarit, Lutheri lapſus in ver « tendis explanandiſque ſcripturis manifeſtos eſſe, nec paucos. « Imò Lutherus ipſe præfat. quadam in Biblia agnoſcit inge « nuè quòd Rabinos ſequutus more Munſteri & Pagnini crebrò errarit. Hæc de Luthero Sacrarum Scripturarum mutilatore, corruptore, deprauatore ſufficiant in præſens. Qua verò fide ac reuerentia diuinas tractent ſcripturas Lutherani, vnus Caluinus fecerit conteſtatum. Is Bremenſibus Theologis ſuo de Luthero tripudiantibus ac Sacramentario dogmati inſultantibus reſpōſurus ſcribit, eos (admonitione vlt. ad Weſtphalum, fol. 287.) Scripturam turpiter & pudendum in modum corrumpere, vt Iohānis Baptiſtæ ſpoliis Lutherum exornent: quòd ſit Elias ille, per quē reſtituenda fuerint omnia: & quod in Iohan. Baptiſta ſemel factum eſt, non obſcurè tam Prophe- Lutherani Scripturas corrumpunt.

Caluino Lutherani sunt Scripturarum falsarij.

tæ quàm Christi testimonio in Luthero fuisse iterãdum, qua falsitate (inquit Caluinus) non minus fœdarunt Lutheri nomen, quàm Aegyptij Ieremiæ corpus, sepulchrum eius adorando.

Cæterùm qua temeritate sacrilega Lutherani quosdam S. literarum locos ad sua noua dogmata statuẽda detorqueant, pauculis exemplis fiat manifestum.

Tibi soli peccaui, deprauãt ex Hebræo Phil. Melanchthõ lo. commu. & Iohan. Brẽtius in Catechismo magno.

An non Melanchthon, Brentius, cæteriq; illud psalmi 50. deprauãt: Tibi tantum peccator sum? vt suam perpetuam in peccatorum sordibus, à quibus si auitam Catholicorum obtinerent in Ecclesiæ vnitate doctrinam, iam pridem fuêre per Christi fidẽ & Sacramẽta expurgati, tueantur immunditiem?

An non idem Brentius ad oppugnandam piarum lachrymarum Deo Opti. pro peccatis gratissimarum efficaciam, & vti cum Cypriano, August. Ambros. totóq; veterum Patrum choro Catholici loquimur, satisfactionem, illud Lucæ 14. adulterat: Quoniam, peruertens in idcirco, dilexit multum; causam remissæ peccatorum impiè commutans in effectum?

Quoniam dilexit multũ, Brentius deprauat, in idcirco. lib. contra P. Soto.

Eant nunc lepidi isti Confessionistarum Patroni, & Catholicos de prophetarum Apostolorumque scriptis eleuatis in crimen vocent; cùm ipsi ea non solùm eleuẽt, sed Iudaicè potius mutilent, adulterentque; id quod non Iudæorum solum, verùm & hæreticorum facinus fuit hactenus semper proprium.

Proinde cùm hac in calumnia Confessionistæ luculenter adeò teneantur rei, ecquid fidei merẽtur reliqua, ad fictitiam calumniam statuendam ab ipsis porrò allata?

Eò verò impudentiæ aiunt Catholicos progredi, vt de S. Bibliis ausint dicere incerta eadem & ambigua prorsus, & cætera dudum recitata, conuitia magis & exprobria quàm argumenta.

Atqui istud nõ sola fuit criminatione affirmandum, Euangelici, sed recitatis scriptorum Pontificiorum liquidis testimoniis comprobandum, vnde & nos isthæc nugarum loco habebimus, donec ipsis suorum auctorum, quos falsò infamant & ignotos accusant, cõfirmetur verbis. Siquidem quotquot tam nostri sæculi, quàm superiorum scriptores Ecclesiasticos videre potuimus, nusquam isthæc apud quẽquam tam blasphema

agnoui-

agnouimus. Extant quidem plurima apud illos loca de S. Scripturæ obſcuritate, & intelligendi difficultate, quòd ea à ſuo germano ac genuino ſenſu (quem ſola Catholica Chriſti, verè habet, ſempiternumque obtinebit Eccleſia) ſeparata, in varios ab hæreticis trahatur errorum prætextus: vt ſic conſiderata, non autem (vti aduerſarij calumniátur) verè, præbeat quidem non per ſe (vt cũ philoſophis loquamur) ſed propter impiam imperitorum, temerariorum, ſciolorum ac imprimis hæreticorum temeritatem litis materiam, vereq; naſo comparetur cereo, cùm hic aliò, ille rurſus aliò vnam eandemque ſcripturam inflectat, incuruet, atq; obtorto, quod aiunt, collo trahat. Hoc ſanè vel vnus ille de S. Euchariſtia perſpicuè admodum teſtatum faciat locus, tot variorum tam à Lutheranis, quàm Sacramentariis ſenſuũ portentis in variam à vero faciẽ defor matus. Vt enim nihil de anilibus, vereq; inanibus Sacramẽtariorũ ſomniis dicamus, qui in ſuo paradoxo ſtatuẽdo tam ſunt inter ſe varij, vt plurimis factionibus conſtitutis, ſolus Iohan. à Laſco plura ſibi iſtorũ verborũ cœnę Domini fingat cõmenta, quàm numeret digitos. Nũc de Confeſſioniſtis eſt agẽdum. Euripid. in Cyclop.

Hi autem etſi Lutheri nomen ſuis prætexũt dogmatibus; tamen hac in re, vti & aliis plurimis doctrinæ capitibus, prorſus diſſentiunt: aperta enim per Lutheran. Cyclopica ſchola, quæ nec Deum verè colit, nec maiores reueretur, omnes illud Sileni de Cyclopũ ingenio ac moribus apophthegma canũt; ἀκούει δ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός. nullus nulli in re nulla obedit: ſed quod ſibi quiſque fingit pro Deo, ſequitur colitque inuictus, nullique cedere neſcius. Lutherus namque docuit panem cœnæ Domini re vera & ſubſtantialiter panem ſimul & corpus Chriſti eſſe, vnde & ἀρτόσαρκα, id eſt carneum panem nominat, quemadmodum annotat Confeſſio Tigurina, fol. 110. Porrò Sweuici illi 14. Parochi puri puti Lutherani cõtra Oecolampadium pro Luthero dimicantes ſuum infelices conficiunt ipſi Lutherum, quorum facilè princeps fuit Iohan. Brentius, anno 25. Hi aſſerebant corpus Chriſti in vel ſub pane adeſſe: non ita tamen vt panis ſubſtantialiter ſit corpus Domini, quod contendebat Saxonicus Euangeliſta Lutherus: ſed illud in vel ſub pane commanducari, eo nimirum modo, quo

pillulæ inquiebant ouis immixtæ absorberi consueuerunt.

Sunt & alij Lutherani, vt hanc (ita dixerim) panis permanētiam & consistētiam vnà cum Christi corpore à Luthero nunc ab orco reuocatam arguto sophismate tueantur, disputant an hæc vnio panis & corporis sit hypostatica, an physica, an formalis, an mystica, an sacramentalis? Certè quot hîc cōfingunt vniones, tot re vera serunt inter Lutheranos dissensiones. Alij Lutheranas loquendi formulas ita detorquent ad Caluinistarum verba & sensa, vt Zwingliani vel à Lutheranis audiant. Sic enim Iohan. Brentius, qui Wormatiæ noluit condemnare Tigurinos, propter præfationem in lib. Iac. Andreæ, à Saxonibus vocatus Zwinglianus, sicut & in causa Osiandriana dicebatur cothurnicus.

Hoc igitur exemplo liquet verba cœnę istis Euangelicis quidem esse materiam litis, & verè naso comparari cereo: dum vnus sic, alter verò aliter contendit intelligendum, quod per se vnum est, vniusque tantum sententiæ, quam Catholica vbiq; & semper tenuit æternumq; obtinebit Ecclesia. Eundē in sensum sacras literas & hæreticorū ingenia sibi minimè, nedum suis magistris constantia, regulam faciunt Lesbiam siue plumbeam, dum suam quisq; hæreticorum priuatam opinionem Scripturis infert, vti ait D. Hilar. non ex illa veritatem petens, sed suæ humanæ doctrinæ palliandæ illam inflectens inuitam. Paucis his ex verbis homini non tam contentionis, quàm veritatis studioso facilè fiat satis de longo illo acerbissimarum caussationum catalogo, si Catholicos meminerit cum Petro Apostolo de sacris literis docère, quod ille de D. Pauli epistolis singulariter dixit verissimè, plurima esse in S. Scripturis, inquiēs, non solùm sensus dubij & incerti: sed intellectu quoque difficilia siue δυσνόητα: quod D. Petri capitulum, vel Euāgelici ipsi eadem, qua vetus interpres, reddiderunt voce, de quo pòst dicetur copiosius.

2. Petri. 3.

Calum.

Porrò quod aduersarij aiūt, Catholicos docere Scripturam
„ esse Sphingis ænigma, & quæ res controuersas, ambiguas atq;
„ dubias parum explicet, nefaria est calūnia: docemus quidem cum D. Hiero. Apocalypsim & plurima prophetarum oracula tot habere mysteria, tot continere sacramenta, quot habent

verba:

verba: sed Sphingis ænigmata nemo, nisi summa cũ Dei Opt. maximi blasphemia, dixerit: quæ tã longè à Catholicis abest, quàm altera illa quã contĩnẽtibus attexũt verbis; sacra Biblia (inquiunt) minimũ esse docent necessaria. Istius blasphemæ vocis si vel vnum proferant testem, vicerint.

Cęterùm quod addunt, Laicos etiã à lectione eorum (S. Bibliorum inquiunt) & vsu in populari & vernacula lingua arcent, frigidior est calumnia, immo mendacium manifestius, quàm quod vllam mereatur refutationem. Extant Biblia Louanij, Parisiis, Coloniæ, alibique & Germanicè & Gallicè conuersa. Norunt ipsi quoque aduersarij & totam per Sueuiam, Bauariam, aliasq; Catholicorum prouincias sacra sub concione populis vernacula lingua prisco de more sanè laudatissimo (vtinam & aliis idem omnibus placeret) prolixè recitari S. literarum capitula. Proinde quod ex Cõcilio Niceno & diuo Chrysostomo atque Erasmo adferunt, nostram iuuat causam: quam ad aureum illius, nobis quidem venerandissimi, Concilij Canonem omnibus, sed ex Concilij sententia, optamus persuasam: id est, vt pij omnes vbique linguarum germana & pura, non per Marcionem, Manichæos, Lutherum, Castalionem, Bezam, aut Anabaptistas aliosúe phanaticos deprauata, soliciti voluant Biblia. Mendac.

IN tam manifesta deprehẽsi vanitate aduersarij, nouam cudũt superioribus longè atrociorem calumniam. Catholicos enim cũ Iudęis & Turcis cõparãt, quòd, vt illi, relictæ (inquiunt) per Prophetas & Patriarchas, & Apostolos doctrina tradita nouum excogitarunt Talmud, & genuerũt Alcoranum: eodem modo & Papistæ cùm sacra Biblia velut literam mortuam, & ambiguam contumeliosè spreuissent, in locum eius traditiones humanas in Ecclesiam inuexerunt, quas fidei Christianæ fundamentum certissimum, & normam iudicij de doctrina vocarunt.

CAP. VII. Collatio Catholicorum cũ Iudæis & Mahumetanis refellitur.

LINDANI REFVTATIO.

NON noua isthæc est calumnia, quòd Catholicos Iudæis, hæreticis, aut paganis comparant belli isti Confessionistarum patroni.

patroni. Sic olim & Faustus Manichæus D. Augustini ętate Catholicos Iudæis conferens appellabat semi-christianos, & Pelagianos D. Ambrosium per conuitium non puduit vocare Manichæum.

Sed quemadmodum illi maiores nostri non fuère istius culpæ sanè sacrilegæ affines: ita nec Catholici, qui nũc per orbem viuunt Christiani ista merentur elogia planè infanda, vt vel Iudæis, vel hæreticis, nédum Paganis, Idololatris aut Turcis similes habeantur, quemadmodum ipsa luce faciemus Christo aspirante illustrius.

Nouum enim nihil Catholici finximus, Nouum Talmud cum Iudæis non excogitauimus, nouum Alcoranum cũ Mahumetanis aut Turcis non genuimus: sed quod à maioribus, ab Apostolis, à Prophetis traditum accepimus, constanter in hanc vsque horam seruauimus inuiolatum.

Quinimo vel capitis huius periculo, idque iudicibus S. Imperij Ro. ordinibus, equidem ausim asserere in Euãgelicos nostri sæculi verè quadrare, quod in totius orbis homines Christianos, id est Catholicos tam improbè, tam scelerate confingunt, contráque suæ mentis testimonium atrociter atq; mendaciter exprobrare audent delecti isti Confessionistarũ theologi consiliariique Politici.

Nõ Catholicos, sed Euangelicos Iudaismi deliria populo vendi tare suis in Bibliis.

An non cum Iudæis sentiunt Euangelici, qui manifestas impiorum Iudæorum, hominibus Christianis, cõtra maiorum doctrinam, contra vetustissimam Ecclesiæ Catholicę Scripturam diuinam, hodie impias obtrudunt Sacrarum literarũ corruptelas? Istud meridiana luce clarius conuincit Esaias ab Euangelicis istis (si Christo placet) pudendum in modum deprauatus. Siquidem Iudaicam corruptelam S. Biblijs inustam Basiliẽsis Ecclesia suo à pseudo-Episcopo apostata monacho Oecolampadio suscepit. Ita enim ad verbum extat in eius commentarijs dudum & Geneuæ recusis. Ecce adolescẽtula prægnans pariet filium: sicuti olim Aquila apostata corruperat. Eandem notam Iudaicam siue Caballisticam & Castellio, vt ad Cõfessionistarum castra propiùs descendat oratio, suis Ciceronianis (si Deo placet) inussit Bibliis: Ecce puella pregnans filium pariet. Sed apertiorem Iudaismũ Leo Iudas cum aliis

Tigurina Ecclesia S. Scripturas habet deprauatas sicuti & Basiliensis.

Tiguri-

Tigurinis, haud sanè minima Euangelicorum pars in sacros inuexit Psalmos, qui omniũ luculentissima contra Iudæorum scandalum de Christi morte & cruce habent cælestia oracula.

Illud enim diuini Prophetæ capitulum de Christi manibus pedibusq; confodiendis atq; clauis patibulo configendis, quod illustre admodũ habet veri Messiæ signum, maluerũt Tigurini Theologi non infima Euangelicorum istorum columina cum Iudæis Christi sui crucem ceu scandalum atque maledictum omnium grauissimum exhorrescentibus, adulteratum vertere: Ceu leo manus meas & pedes meos: quàm toto cum orbe Christiano Apostolorum discipulo, Foderunt manus meas, obtinere.

Foderunt manus meas Euangelici cum Iudæis deprauãt Tanquam Leo.

Verùm quanta istud Euãgelicum facinus sit impietate planè Iudaica plenum ipse Caluinus dissimulare non potuit. Scribẽs enim in psal. 21. annotat omnes quidem libros Hebraicos in hanc lectionẽ: Sicut leo manus meas & pedes meos, con uenire (quod nos falsum libris de optimo interpretandi gen. » demõstrauimus) se tamẽ ab ea lectione decedere, quòd ita co » gat sententiæ ratio; & probabilis sit coniectura, locum à Iudęis » esse fraude corruptum: addit pręterea in eos cadere non leuem » falsitatis suspitionem, quibus vnicum studium est Iesum cru- » cifixum suis spoliare insignibus, ne Christus & redemptor ap- » pareat. Quod quàm faciant strenuè cum Iudæis isti præclari Euangelici, liquidis aliquot nunc exemplis sufficiat demonstratum.

Nihil iam dicam, quot & quàm variis doctrinæ capitibus Euangelici Iudaicis, Mahumetanis, Caballisticis consentiunt dogmatibus, fidei Christianæ hactenus ignotis; quæ longo Catalogo dudum in dialogis, quibus Dubitantij titulus est, recensuimus: vnum hoc pios omnes hîc vt considerent suam per salutem rogo atq; obsecro, quod D. August. docet lib. 18. cap. 36. de Ciuit. Dei: vnde liqueat an Catholici, an potiùs Euangelici Iudaicam sequantur Synagogam? & vtri diuinã Scripturam in Iudaicum Talmud cõmutarint? De libris Machabæorum ingens orta est hac tempestate quæstio an sint Christianis hominibus Canonici habendi; nec ne. Catholici eos, vti & reliquos omnes, retinemus Canonicos: Euangelici eos de Canone cum aliis aliquot abiiciunt, id est Scripturam diuinam esse

Euangelici varia Iudæorum & Mahumetanorũ dogmata suis Euãgelij titulo venditãt: quæ vide ad dialogos Dubitantij lib. 2.

Inuicta demonstratio Euangelicos Iudaicam sequi Synagogã: cuius Canonem scripturarum exosculantur, spreto Christianæ Ec. Canone.

 negant.

negant. Sed vtri cum Iudæis & ſentiunt & faciunt, iudicet D. Auguſtinus, ſi modò eum iudicẽ admittunt: Libros Machabæorum, inquiens lib. de Ciuit. Dei 18. cap. 36. non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet. Quid autem illa Apoſtolica his de libris cenſuerit Eccleſia, vnus plurimorum inſtar liquidiſſimò teſtetur D. Egeſippus Apoſtolicorum temporum, vti ait D. Hieron. vicinus, Machabęorum res geſtas, inquit præfat. hiſtoriæ ſuæ Ieroſolymitanę, Propheticus ſermo paucis abſoluit. Hos igitur diuinos libros Catholici reuerenter admodum pro diuina ſuſcipimus atq; obtinemus ſcriptura cum viro illo Apoſtolicæ Ec. diſcipulo: quos Euãgelici iſti, ſi Chriſto placet, pro humana habent doctrina, & de Canone adeò reiiciunt cum Iudaica Synagoga.

Euangelicos noſtros D. Auguſtinus pronunciat iudaizare, dum libros Machabæorum de ſacrarum Scripturarum reiiciunt Canone.

CAP. VIII.

Catholicos contumelioſe non ſpernere Scripturam, ſed reuerenter admodũ habere.

HAC vna ex re, vt alia plurima breuitatis cauſa ſilẽtio prætereamus, liquet quantæ ſit vanitatis pleniſſimum, quod ſcribunt lepidi illi Cõfeſſioniſtarum patroni, in nos per inuidiam deriuantes flagitium, quod ipſi reuera manifeſto cum ſacrilegio deſignarunt. „Eodem modo (inquientes) & Papiſtæ cùm S. „Biblia velut literam mortuam & ambiguã contumelioſè ſpre„uiſſent, & cæt. Catholici enim ſumma, vti par fuit, reuerentia, congruoque ſuſcipimus, veneramur, obtinemus honore diuinam, ſacroſanctam Scripturam, totã, illibatam, nulla parte acciſam, decurtatam, aut mutilatam. Non eam contumelioſè, velut literam mortuam & ambiguam, ſpreuimus: cùm eã, authore D. Petro, velut lucernam loco caliginoſo lucentem admiramur; eam cũ Dauide ceu pedibus noſtris in viã pacis dirigendis lucernã exoſculamur; eam cũ D. Stephano verba vitæ cõtinentem pij veneramur, colimus, ac tantũ non adoramus.

2. Petr. vlt. Pſalm. 118. Act. 7.

Non enim eam aut literam mortuam, aut ambiguam contumelioſè appellamus, (nam mera iſthæc eſt aduerſariorũ calumnia, inuidioſè in Catholicos confícta) ſed propter eius obſcuritatem, intelligendique difficultatem D. Petri verbis conteſtatam docemus, plurimis in locis eam non omnibus perſpicuam tradere ſententiam; quod vel aduerſarij adeò ipſi inficiari non poſſunt, vt diſertè ſcribat Bullingerus præfat. Bibliorum Tigurinorum, Ezechielem myſteria Eccleſiæ inuolucro quodam inuoluta proponere. Rurſus Iohannem Apoſtolum ait in Apocalypſi prophetico dicendi genere pingere, quæ ſibi Domi-

Calum.

Scripturam eſſe obſcuram D. Petri teſtimonio tuentur Catholici: quod & Euangelicorũ ſuffragiis demonſtratur.

Bullingerus.

Dominus reuelarat fata (si prophanis eius verbis vti liceat) Ecclesiæ, & quæ ei vsque ad finem sæculi sint obuentura. huic & Caluinus suffragatur, qui de Apocalypsi sententiam rogatus, ingenuè respondit (teste Iohan. Bodino) se penitus ignorare quid velit tam obscurus scriptor. Quòd si tam sunt apertæ, omnibusque manifestæ S. literæ, vt præ se ferunt isti Confessionistarũ defensores, quur quæso vester Lutherus Apocalypsin negat aut Apostolicam, aut propheticam, quòd humana, inquit, intelligentia illam non assequatur? Istud quidem nos ingenuè cum D. Dionysio Alexandrino viro modestissimo simul & sanctissimo agnoscimus, neque de illis S. Apocalypseos mysteriis nostro intellectu inquirimus & iudicamus: sed fide potius acquiescẽtes sublimiora illa, quàm quæ à nobis intelligantur, putamus. Neque propterea certè fuit à Canone reiiciẽda, quia obscura est, omniumque fatigat & exercet ingenia. Nam hac ratione totum mox euertas Scripturarum Canonem, & in nudum conuertas nomen.

Caluini responsum de Apocalypsi. Methodo historiæ cap. 7.

M. Lutherus.

Dion. Alexãdrinus apud Euseb. 7. cap. 25.

An non illud D. Petri de Paulinis Epistolis elogiũ & vester Lutherus reddidit, Quędã sunt δυσνόητα schweer zu verstehẽ, intellectu difficilia? An non similiter Castellio, Tigurini, & Beza?

An verò quisquã negarit esse plurima plerisq; in S. Scripturis incognita & occulta? Certè diuinus ille mysteriorũ Christi peritissimus Dauid sic sibi quidẽ gratulatur, τὰ ἄδηλα, inquit Psalmo 50. καὶ κρύφια τῆς σοφίας σου. Ignota & occulta sapiẽtię tuę manifestasti mihi: meritò id sibi gratulatur Propheta, quia nõ omnibus omnia aperit Deus Scripturæ mysteria. Hinc tanta sedulitate orat, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: ne abscondas à me mandata tua: da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Quo Dei beneficio qui donatus est, rectè exclamat, Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis! Non ergo mox vt quis fide in Christum est præditus, donum etiam accipis Scripturas intelligendi, siue interpretandi, quod prophetiæ charismate donatur: sed plerisque nostrum cum Corinthiorum plebe negatur: his verò Paulus, etsi ita omni gratia spirituali locupletatos dixisset, vt nihil deesset, tamen non potuit loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo. Vnde

Non cuilibet fideliũ datur donũ prophetiæ, aut scripturas intelligẽdi siue explanandi. 1. Cor. 3. Corinthiorũ pleriq; paruuli in Christo.

Hebr. 5.
Non omniũ eſt ſolidus cibus: ſed pleriſque lacte eſt opus.

de lac eis potum dedit,non eſcam,aut ſolidum cibum: cuius non quilibet eſt particeps. Quidam enim cum Hebræis ita ſunt ſuis aut moribus hebetati aut vitiis præpediti, vt eis vel poſt longam in Chriſtiana religione conuerſationem,lacte ſit opus,non ſolido cibo. Qui autẽ lactis eſt particeps, (teſte Paulo) expers eſt ſermonis iuſtitiæ. nam paruulus eſt in Chriſto. perfectorum autem demum eſt ſolidus cibus,eorum qui propter conſuetudinem exercitatos habent ſenſus,mentiſque iudicium ad diſcretionem boni & mali. Quod igitur humanis corporibus ex cibi ſolidi indigeſtione ſolet accidere, hoc & in anima ex doctrinæ ſpiritualis ſenſu nõ ritè percepto videmus vſu venire. Vt enim puerorum ſtomacho cibis ſolidis ac prædutis obruto morbi generantur graues & periculoſi, ac nonnunquam ſontici: ita paruuli in Chriſto ſi omiſſo illo doctrinę genere Catechiſtico, quod lactis nomine D. Paulus notauit, vti ad Hebræos,cap.5.declarat;mox ſeſe abripiant ad ſolidum cibum vorandum, id eſt myſteria illa ardua atque aporrheta perſcrutanda & diiudicanda,in animi cadunt deliria,morboſque animorum plerumque incurabiles. Verè namque iuxta prophetiã miſeris illis vſu venit, Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Vnde nam obſecro quis obortas dixerit tantas paſſim plebeculæ Chriſtianæ vna de Chriſti fide diſputationes,diſſenſiones,factiones? Quas ſi quis annumerare tentarit,tot deprehendet ſententias,quot ferè capita: plauſibili enim pſeudo-prophetarum doctrina ad temerariã diuinarum ſcripturarum lectionem inuitati,quod nihil habet obſcurum, nihil difficile;Apoſtolos piſcatores & textores tã fuiſſe rudes, quàm ipſi ſint;Deum nunc tam poſſe imperitos docere, ſuoq; ſpiritu donare,quàm olim,totos ſeſe legendis ſacris libris, ſuoque pro ingenio ſatis nondum ad Pauli monita exercitato intelligendis tradunt. Vnde miro animi faſtu excæcati, omnes præ ſe contemnunt naſutuli,nullũ alium ferunt S.ſcripturarũ intellectum,quàm ſuis à magiſtris hauſtum. Sed quid mirum iſtos miſellos opprimi à gloria, qui illotis, quod dicitur, pedibus,ſiue, vt D. Paulus loquitur, nõdum exercitatos conſuetudine habentes ſenſus, mentemque ſpiritu diſcretionis præditam,diuina perſcrutari audent myſteria, humanoque iudicio ineffabilia Chriſtianæ religionis pertractare Sacramenta? Paſſim

Lacte Paulino ſiue Catechiſmo eſſe pleriſq; opus nunc temporis,ne in animę incidãt morbos,ex ſolido cibo, intempeſtiue vorato, ſiue intemperanter deglutito.
Prouerb. 25.

Ex myſteriorũ fidei imperitia & ingenij faſtu tãtus eſt hodie erraticorum & hæreticorũ numerus.

ſim enim tunicatus popellus diuinum incarnationis Chriſti, aut S. Eucharistiæ inueſtigat myſterium. Non deſunt qui omnipotentiam Dei ſuo examinare audent ingeniolo. Sunt qui Chriſto certum in cælo empyreo metiuntur locum: tanquam cæleſtis regionis conſtituti eſſent deſignatores: & vt omnes inſaniæ metas ſemel tranſiliant, inueniuntur qui ipſas ſacroſanctæ Trinitatis perſonas Arrhiana ſiue Macedoniana diſtinguere audent impietate. Quam vbi diaboli fraude animo ſuo perſuaſerint, ſcripturas legunt, teſtimonia ſuo quiſq; cógruentia ſomnio quærunt, detorquent, inueniunt. qua opinione animus ſui amore cæcus ſemel imbutus, pro verbo Dei iactat, quod ab eo eſt alieniſſimum. Qui ſanè error inde oboritur, quòd lactis adhuc particeps ante tempus ſolidum vorare voluit cibum, qui non eſt, ait Paulus, omnium, ſed perfectorum. Vnde ſuis Apoſtolis haud fruſtrà Chriſtus poſt biennij Catecheſim, Vobis datũ eſt noſſe myſterium regni, cæteris autẽ in parabolis omnia fiunt. An quod ſuo ſæculo Chriſtus profitetur pleriſque contingere, negabimus noſtri temporis hominibus euenire? Quibuſdã enim datur ſpiritus prophetiæ ad Ec. ædificationem, non omnibus; nam non omnes ſunt doctores, non omnes prophetæ, nõ omnes interpretes. His ergo ſcripturarum obſcuritas eſt per alios explananda: quemadmodum aliquot PP. teſtimoniis eſt demonſtrandum. D. Ambroſius in illum D. Pauli locum Timothei. 3. Deus vult omnes ſaluos fieri; obſcuritatem loci nõ diſſimulans rogat, ecquur ergo non fiat Dei voluntas in omnibus, cùm ſit omnipotens? reſpondet: Sed in omni (inquit) locutione ſenſus eſt, conditio latet. Vnde dicit Petrus Apoſtolus; omnis Scriptura indiget interpretatione. Hinc & Chriſtus ſua in Eccleſia quoſdam doctores, quoſdam interpretes donauit. Certè quod Dauid ſibi gratulatur ſingulari Dei Optim. beneficio contigiſſe, Incerta ſiue ignota, inquiens, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi: equidem omnibus Chriſtianis ingenuẽ agnoſcẽdum eſſe arbitror, quotquot ſuæ humilitatis memores profitentur ſe Chriſti diſcipulos, quibus non quidem omnibus, ſed paruulis reuelare pater dignatur; ſicuti & ſapientibus recondere. Vnde Chriſtus rectè Iudæos monet, Scrutamini Scripturas, qua voce τοῦ ἐρευνᾶτε inueniendæ ſententiæ difficultatem oſtendit. Et ſi enim lectoribus

Lucæ 14.
Non omnibus fidelibus datũ eſt noſſe myſteria regni.
Ephef. 4.

Scripturæ quia obſcuræ, indigent interpretatione.
Ambroſius in epiſt. ad Timot.

Scrutandas eſſe ſcripturas, monet Chriſtus doctos, nõ quoſuis paſſim plebæos.

bus teſtimonium de ipſo præberent, vti & in hunc vſq; diem: tamen Iudæi dolendum in modum hallucinãtes aliter eas intelligebant. Quod ergo Iudęis de prophetia ſiue Moyſis, ſiue Danielis vſu venit; vt eam de Chriſto loquentem non intelligerent, an non & hodie quibuſdam Chriſtianis ſimili pertinacia Iudaica laborãtibus euenire ſit conſentaneum? Certè hoc de Sacramentarijs, alijſque affirmant Confeſſioniſtæ: quemadmodum de illis, omnibuſque ad vnum aliis peregrinam doctrinam Chriſtianis auribus contra ſcripturas rectè intellectas inuehentibus, Catholica cenſet Eccleſia, depoſiti illius Apoſtolici cuſtos fidiſſima, ſimul et magiſtra. Nam depoſitum ab Apoſtolis D. Timotheo aliiſque commendatum; vti Cle. Alexandrinus ait lib. 6. Stromat. fol. 218. eſt cõueniens domini doctrinæ per piam Apoſtolorum traditionem præſcriptæ intelligẽtia & exercitatio; neq; enim prophetia, neque ipſe Saluator adeò craſſe & generaliter elocutus eſt diuina myſteria, vt ea facilè capi poſſent ab quibuſlibet, ſed diſſeruit in parabolis, & infrà. Cæterùm recta ſunt omnia coram iis qui intelligunt, id eſt, qui ab ipſo declaratam ſcripturarum expoſitionem ex Eccleſiaſtica regula accipientes conſeruant. Regula autem Eccleſiaſtica eſt concentus & conſenſio legis & prophetarum conuenienter teſtamento, quod traditur per Domini aduentum. Rurſus, Propter multas ergo cauſas occultant Scripturæ ſententiam; primum quidem vt diligenter inquiramus, & ſemper vigilemus in inueniẽdis ſalutaribus orationibus; propterea ne omnibus quidem conueniebat intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quàm à Spiritu ſancto dicta ſunt ſalutariter. In eundem ſenſum ſcribit D. Baſilius: In oraculis Spiritus, inquit epiſtola 76. ad Neocæſar. non cuiuis licet contingere eorum, quę dicta ſunt, examinationem; ſed ei qui ſpiritum habet diſcretionis, quẽadmodum nos Paulus docuit. Similiter cap. 27. lib. de Spiritu ſancto. Silentij autem ſpecies eſt obſcuritas, ἡ ἀσαφία incertum, dubium, & abditum, quo vtitur diuina ſcriptura, ita dogmatum ſententiam cõſtruens, vt ægrè poſſis aſſequi, ſiue, vti habet Baſilius, δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, dogmatum ſenſum exhibens occultatũ atq; contuitu difficilem. Rurſus obiectæ ſibi de ſcripturarum contrarietate quæſtioni reſpõſurus: Cæterũ de his, inquit libro 2. de bap-

Depoſitũ Apoſtolorum quid.

Ex Cle. Alexandrino cur Scripturæ obſcuræ.

Scripturas eſſe intelligendas ex Regula Eccleſiaſtica.

Scripturę ſuam occultãt ſententiam, & quare.

Non omnibus conuenit intelligere prophetias.

Ex D. Baſilio de Scripturarũ obſcuritate.

ἡ ἀσαφία & obſcuritas eſt ſilentij loco in Scripturis.

de baptiſ. quęſtio.4. quæ videntur contrarietatem aliquam habere, melius eſt ſeipſum condemnare, velut qui nondum peruenit ad conſiderationem diuitiarum ſapientię, & quod difficile eſt & graue, imperſcrutabilia Dei aſſequi; quàm obnoxiũ fieri iudicio audaciæ, temeritatiſque ac pertinaciæ; & audire, " Impius, qui dicit Regi, Inique facis. Et poſt quædã, Imitemur " Apoſtolos de interpretatione eorum, quę ab ipſo dicta ſunt ex his, quæ in alio loco dicta ſunt, veritatem ac ſalutare diſcamus. Sic & ſer. de fidei Confeſſione; vbi declaraſſet Scripturas diui- " nam maieſtatem ſermone incompræhenſibilem ac mente in- " perceptibilem per res varias noſtro in vſu verſantes vix his, qui " puro ſunt corde, velut per ſpeculum inſinuaſſe, addidit: Con- " firmant hoc etiam DD. Petri & Iohannes diſcipuli, qui ſanè " poſtquàm digni viſi ſunt electione à Domino, conuerſatione " cum ipſo, Apoſtolatu ab ipſo ſpirituali donorũ diſtributione; " poſtquàm audierunt: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cæ " lorum, poſt talẽ cognitionem eorum, quæ aliis arcana erant: " tamen poſteà circa ipſam Domini paſſionem audiunt; Adhuc " multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Ex " his & talibus diſcimus, quòd in tantum nouit diuina ſcriptura cognitionis infinitatem, in tantum item in humana natura aſſequendi in præſenti diuina myſteria impotentiam: quũ ſemper amplius quid per profectum accedat, & ſemper id quod pro dignitate eſt, omnibus deſit, donec venerit quod perfectũ eſt, quando id quod ex parte eſt, abolebitur. Rectè autem D. Irenæus lib.4.cap.43. Chriſtum Dominum vocat theſaurum abſconditum in agro, id eſt in ſcripturis. vnde dicitur: Signa ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus conſummationis, quoaduſq; diſcant multi, & adimpleatur agnitio: omnis enim prophetia priuſquam habeat efficaciam (ſiue euidentiam) ęnigmata & ambiguitas ſunt omnibus. Quo autem pacto certa & liquida prophetiarum accipienda ſit Chriſtianis interpretatio, poſt pauca ſubtexuit D. Irenæus. Quapropter eis qui in Eccleſia ſunt (inquit eodẽ cap). Presbyteris obaudire oportet, " his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, " qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certũ ſecundum placitum Patris acceperunt. Conſultò igitur illa Eccleſiæ Chriſti columina, DD. Baſilius & Gregor. Nazianzenus

D. Irenæo Scriptura eſt ænigmatica, ſiue ſignata & clauſa.

Certa Scripturarum interpretatio eſt à presbyteris Catholicis petenda.

in locum

in locum secretiss. digressi per annos totos 13. in sacrarum literarum studia incubuerunt toti, earum intelligentiam non ex propria præsumptione, inquit Ruffinus lib. 2. cap. 9. sed ex maiorũ scriptis & auctoritate esse sequutos; quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.

Ex D. Augustini sententia sacris Scripturis obscuritas inest tum ex verbis, tum ex rebus ipsis intelligendis.

In hanc sententiam scribit D. Augustinus, sacræ Scripturæ obscuritatem simul & difficultatem ingenuè professus: Tanta est Christianarũ profunditas literarum, inquit epistola 3. ad Volusianum, vt in eis quotidie proficerẽ, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quo ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè recteque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant; tantaq; non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendę sunt, latet altitudo sapiẽtiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisq; cupiditate discẽdi hoc contingat, quod eadẽ scriptura quodam loco habet, Cũ consummauerit homo, tunc incipit. Sic alibi, Mira est profunditas eloquiorum tuorum (inquit lib. Confess. 12. cap. 14.) horror est intendere in eam, horror honoris & tremor amoris. Cæterum si scripturæ tam sunt manifestę fidelibus omnibus Christi discipulis, quemadmodum plerique nunc philautia fascinati persuasum sibi habent; ecquur suos illos toto iam triennio diuinis suis sermonibus catechizatos Dominus Danielis prophetiam proponens admonet, Qui legit (inquiens) intelligat? quod an meritò diuina sapientia suos admonuerit, suo exemplo misellι nobis testantur Iudæi, loci illius mysteria nondum capientes. quod an non & plerisque Christianorum vsu veniat, pro se quisque iudicet: certè vti D. Hieron. templi prophetici explanationem ingressurus ingenuè suam profiteri non dubitauit imperitiam, ignoratumque sibi illius sensum; ita & hîc, & alibi equidem mihi conscio ad secretiores diuitiarum cælestis sapientiæ thesauros me nondum penetrasse. Etsi enim de impleta illa tum arboris tyrannicæ siue monarchicæ, tum Ierosolimitani templi instauratione atque demolitione diuino Danielis oraculo prædicta, nihil prorsus ambigo: plurima sunt tamen

Marci 13. Christus Scripturarũ docet obscuritatẽ, exẽplo Danielis allato.

Commentar. in Ezech. cap. 39. & 40.

Arbor illa tyrãnica siue monarchica apud Danielem quid sibi velit.

tamen, quæ densissimas illius loci permagno licèt studio illustrati, variáque vet. PP. atque historicorum lectione examinati tenebras mihi nondum omnes depellant.

Ad prophetiarum enim illarum medullam penitius hauriendam, vbi animus subinde gestit, equidem re ipsa mihi vsu venire experior, quod D. Hiero. sibi adolescentulo: Dum Romæ puer liberalibus studiis erudirer (inquit Cõment. Ezech.
„ cap. 40.) solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi die-
„ bus Dominicis sepulchra Apostolorum & martyrum circuire,
„ crebróque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ
„ ex vtraque parte ingredientiũ per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscuræ sunt, vt propemodum illud propheticum compleatur, Descendũt in infernum viuentes: & rarò desuper lumẽ admissum horrorem temperet tenebrarum, vt non tam fenestram, quàm foramen dimissi luminis putes. Rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circuntatis illud Virgilianum præponitur, Horror vbiq; animos, simul ipsa silentia terrẽt. Hoc mihi dictum sit, vt prudens lector intelligat, quam habeã sententiam super explanatione templi „
Dei in Ezechiel. de quo scriptum est, Nubes & caligo sub pe- „
dibus eius: & rursum, Tenebræ latibulũ eius. vnde & Moyses „
nubem ingressus & caliginem, vt posset Domini mysteria con „
templari, quæ populus deorsum manens videre non poterat: „
denique vultum Moysi vulgus ignobile caligantibus oculis „
non videbat, quia glorificata siue cornuta erat eius facies: Ita „
& mihi legenti descriptionem templi mystici accidit, vbicun- „
que oculus cordis aperitur, & me aliquid videre existimaue- „
ro, & tenere sponsum, & gaudens dixero, Inueni quem quę- „
siuit anima mea, tenebo eum & non dimittam eum: rursum „
me deserit sermo diuinus, fugitque sponsus manibus, & clauduntur oculi cæcitate, ita vt cogar dicere: O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Nam si Danieli ab Angelo doctore dicitur, Diligenter attende vt audias & intelligas, quod vides, vti idem ait Hieron. Com. Dan. cap. 2. quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris & caligine vitiorum obcæcati sunt? Quare Paulinum suum dum ad S. literarum studium hortatur: Qui edere vult nucleum, inquit,

Elegantissimis collationibus D. Hiero. Scripturarũ expressit obscuritatẽ & intelligendi difficultatem.

nucẽ frangat. Reuela oculos meos, clamat Dauid, & cõſiderabo mirabilia de lege tua. Si tãtus Propheta tenebras ignorãtiæ cõfitetur, qua nos putas paruulos & penè lactentes inſcitiæ no ƈte circũdari? Hoc autẽ velamẽ nõ ſolũ in facie Moyſi, ſed etiã in Euangeliſtis & Apoſtolis poſitũ eſt. Quod ſi tanta igitur eſt diuinarũ ſcripturarũ difficultas, obſcuritas, &, vti ait D. Ba. ἀσαφία & δυσθεώρητον, ſiue, vt Petrus teſtatur, δυσνόητον, intelligẽdi atq; aſſequẽdi difficultas, vt ipſa Dei ſapiẽtia Chriſtus Dominus noſter ſuos Apoſtolos vel per trienniũ ſuis rudimentis cathechizatos admonuerit de attẽtione & aſſequendi ſtudio: quęnã obſecro eſt temeritas, quę audacia iſtorũ Euangelicorũ, negare ſcripturas eſſe obſcuras, omnibuſq; iactare eſſe cognitu faciles, nulloq; negotio perſpicuas? Sed hæc cõpẽdioſiſſima eſt ratio, plurimos à perſpicua fidei veritate ad nebuloſas falſi dogmatis ſeducere caligines, dũ ſuas blaſphemias in verbo Dei, aut nõ intellecto, aut temeraria falſaq; ſentẽtia deprauato, imperitis ſuæ quiſq; factionis perſuadẽt luculẽter extare: quibus nouę gratęq; doctrinæ faſcino cõſtrictis, nõ iam ſua, ſed Dei verba ſonare vidẽtur. Verũ hãc Sathanæ fraudẽ plurimis, heu dolor, exitialẽ, vt electus Dei populus aliquando videat cautuſq; fugiat, Deus faxit propitius. Nã ſcripturæ difficultatẽ pro ſuo quiſq; dogmate callidus extenuat, cuius intelligentiam abſq; Dei gratia & doctrina maiorũ (ait Hiero. Com. in Dan. ca. 11.) ſibi imperitiſſimi vel maximè vẽdicãt. Proinde etſi Catholici venerandam PP. orthodoxorũ antiquitatẽ, immo plana verbi Dei teſtimonia ſequuti docemus ſcripturas eſſe obſcuras atq; intellectu difficiles, neq; omnibus cognitu faciles: nõ tamẽ eas vt literã mortuã, & ambiguã cõtumelioſè ſpreuimus, quòd nobis delecti iſti Cõfeſſioniſtarũ patroni exprobrare nõ verẽtur.

An Scriptura ſit litera mortua.

Quare nũc paucis de illo dicẽdum venit; an ſcriptura rectè vocetur litera mortua, nec ne. Nam & legi noui Teſtamẽti ſuam quandã eſſe literã, & eam quoq; quibuſdã mortuam, ſicuti & veteri legi Moſaicę, apertius eſt ex re ipſa, & clara Vet. PP. Ambroſ. Hiero. Auguſt. aliorũq; doctrina ſolidis ſcripturarũ teſtimoniis nixa, quàm vt vel ſemitheologus quiſpiã ignorare poſſit. Sed rudiorũ cauſa, vnũ ex D. Auguſt. adferemus locum. Sic enim habet libr. de ſpiritu & lit. cap. 17. Lex ergo Dei (inquit) eſt charitas, huic prudentia carnis non eſt ſubiecta; neq; enim

poteſt:

poteſt: ſed ad hanc prudentiã carnis terrendã, cũ in tabulis ſcribantur opera charitatis, lex eſt operũ, & litera occidẽs præuaricatorem: Cũ autẽ ipſa charitas diffunditur in corde credentiũ, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorẽ. Hęc ergo charitas ſiue in veteri teſtamẽto, ſiue nouo, tabulis inſcribatur lapideis aut papyraceis; litera eſt occidẽs, donec à ſpiritu cordibus credẽtiũ inſcribatur. Hoc certè illud eſt, quod dudũ ex D. Hie. epiſtola ad ſtudiũ Theologicũ exhortatoria & præparatoria cõmemorauimus, hoc velamen nõ ſolùm in facie Moyſi, inquit ad Palinũ; ſed etiam in Euangeliſtis & Apoſtolis poſitum eſt. Lex dilectionis in tabulis ſcripta eſt litera occidens.

QVOD porrò ſubtexũt illi Confeſſioniſtarum propugnatores, in eius (S. ſcripturę) locum traditiones humanas inuexerunt (Catholici) quas fidei Chriſtianæ fundamentum certiſſimum, & normam iudicij de doctrina vocarũt, manifeſtiſſima eſt calumnia. Nos enim, quotquot cenſemur Catholici, iuxta Con. Trident. decretum, ſacraſanctã Scripturam, velut diuino ore dictatam, Spirituſq; ſancti afflatu cõſcriptam, religioſe admodũ veneramur, colimus, adoramus; nec nõ traditiones tam fidei, quàm morũ, Chriſti ſpiritu per Apoſtolos cõtinua ſucceſſione in Eccleſia cõſeruatas pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipimus. Hanc de ſcriptura confeſſionẽ, cũ tam diſertè Synodus Tridẽtina profiteatur fidei ſuæ fundamentũ, illiberaliter admodũ agunt iſti minimè ingenui Confeſſioniſtarũ delecti defenſores, ꝗ Catholicos accuſare etiãnum audeant, ꝗ in locum S. ſcripturæ traditiones humanas inuexerũt. Qui enim ſcripturæ primũ tribuũt auctoritatis diuinæ locũ, ei Apoſtolicas ſubdẽtes traditiones, quonã obſecro pacto cẽſeri, nedũ accuſari, niſi calũnioſè aut veriùs ſycophanticè queãt, in locũ diuinæ ſcripturæ humanas inuexiſſe traditiones? Cęterũ humanas illas traditiones à Cõfeſſioniſtis obiectas, nullas hîc agnoſcimus: ſed Apoſtolorũ filij D. Paulũ ſequuti magiſtrũ ſuſcipimus quidquid ab Apoſtolis, eorumúe diſcipulis per Chriſti ſpiritum nobis in Eccleſia eſt continua ſucceſſione traditum, ſiue per epiſtolam ſcripto relictum, ſiue per ſermonem, id eſt, viuæ vocis oraculo, viuis credentium cordibus olim per Apoſtolos inſcriptum, non in perituras etiam literas relatum.

CAP. IX. Calumnia refutatur, quòd in locũ S. ſcripturarum Catholici humanas inuexerint traditiones, quas fidei faciant fundamentum.

Diſertis verbis refutantur Confeſſioniſtæ à Cõcilio Tridẽtino, quòd fidei fundamentum facit S. Scripturã.

State, inquit Paulus ſuis Theſſalon. atque in eorum perſona nobis quoque; & tenete traditiones, quas accepiſtis ſiue per 2. Theſſalon. 2.

" epiſtolam ſiue per ſermonē. Has traditiones ergo à D. Paulo
" Chriſtianis ad vnum omnibus Dei ſpiritu præſcriptas nos Ca
tholici religiosè ac piè cùm ſuſcipimus,tum obtinemus. Nullas verò humanas ſic agnoſcimus aut veneramur traditiones, vt eas in locum S. ſcripturæ admittamus, nedum inuehamus,
" quemadmodum nos Catholicos Confeſſioniſtarum patroni
" calumniantur. Verè enim cum D. Hilario & nos profitemur,
" humanis traditionibus nō eſſe locū in rebus diuinis, propter-
" eà quòd ſint hominum, non Dei plantatio. Hac enim in cauſa, vbi de fidei Chriſtianæ fundamento agitur, nullam agnoſcimus, nedum ſuſcipimus traditionem humanam: ſed tātum diuinam, quæ ab ipſis vſque Chriſtianiſmi incunabulis toti Ecclesiæ Catholicæ matri noſtræ dulciſſ. Apoſtolorum ore eſt tradita, & tanquam æternæ ſalutis depoſitum aſſignata, ſiue potius legata. Ea autem eſt ipſa Euangelicæ veritatis & Chriſtianæ religionis doctrina, quam Catholicus Chriſti populus toto orbe cōcorditer in vna fidei Euangelicæ Confeſſione diſperſus viuis Apoſtolorum oraculis didicit, profitetur, propagauit, obtinet, æternumque obtinebit. Si igitur ab heterodidaſcalis, heterodoxis, Antichriſtis, ſiue, vti hodie cum D. Paulo appellantur, hæreticis, aliqua doctrinæ Euangelicæ, aut religionis Chriſtianæ pars in controuerſiam nefariè abripiatur; liber aliquis de Canone ſacrilegè proiiciatur; Capitulū aliquod ſiue Scripturæ aliqua pericope aliter intelligenda peruicaciter ſiue pertinaciter contendatur: hîc ſanè Catholicis, ſicuti & ipſis hæreticis de aliorum librorum ſacrorum auctoritate vexatis, ad traditiones eſt confugiendum: non illas quidem humanas, vti confingunt Cōfeſſioniſtæ, ſed diuinas, quia Apoſtolicas, & è Chriſti ſpiritu indubitanter ortas atque prognatas.

Traditiones humanas non eſſe à Catholicis in locum Scripturarum inuectas.

Ad traditiones nō ſcriptas confugiendi eadem eſt Euangelicis neceſſitas, quæ Catholicis.

Non enim humanæ appellandæ ſunt, quæ nobis ex diuini ſpiritus teſtimonio diſertis Apoſtolorum vocibus nixè tradūt Euangelium D. Matthæi, aut Iohannis eſſe Canonicum: Epiſtolas D. Petri, aut D. Pauli eſſe Canonicas. hîc enim humanis traditionibus non eſt locus: ſed cùm iſtud Catholicis cōteſtetur diuinus Chriſti ſpiritus, eandem traditionem non minùs aſſerimus eſſe Apoſtolicam, immo diuinam, quàm ſunt ipſæ SS. Apoſtolorum epiſtolæ, aut ſacroſancta 4. Euangeliſtarum Euangelia. Nituntur quidem Sacræ literæ hac Eccleſiæ Chriſti tra-

Fides ex Scripturis quidem eſt concepta iis que ceu fundamēto nititur: illas tamen indubitata Eccleſię traditio fulcit quæ teſtatur eſſe diuinas.

ſti traditione,quæ eſt veluti publicum quoddam diuini oracu li teſtimonium: ſed non ita ab eo pendent illæ, vt propterea non ſint futuræ diuinæ;ſi eo ad tempus quoddam deſtituantur. Tamen in iis explicandis,ſuoq́ue vero atque germano ſenſu exponendis tutò citráque errorem verſari non poſſumus, niſi & traditioni Eccleſiaſticæ, hoc eſt,à Chriſto aut Apoſtolis olim relictæ congruenter accipiamus.fulciunt itaque & quodam ſuo modo ſuſtinent Scripturam,ſuóq; genuino reddunt ſenſui iſtæ traditiones Eccleſiaſticæ: ſed fidei fundamentum ipſa diuina eſt Scriptura ad noſtram procurandam ſalutem, ignorantiamúe erudiendam diuinitus præſcripta. Siquidem fides,vt Auguſti.docet,ex ſcripturis eſt concepta: quæ vbi ad has intelligendas adhibetur,genuina eſt, propria eſt, vera eſt demum ipſarum intelligentia. Alioqui enim,ſi aliunde inuehitur,ſi aliena affingitur,ſi peregrina inducitur,verum non parit Scripturarum ſenſum,ſed adulterinum & falſum,vereq́ue hæreticum: quod ſuo exemplo,cum priſci omnes hęretici manifeſtiſſimè declarant,cum noſtræ iſtius tempeſtatis, qua vix vlla fuit,aut forte erit,niſi Antichriſti hora vltima, ſectarum perditionis feracior, aut errorum vberior, aut peſtium animi fecundior. Nihil enim ſartũ tectum Catholicæ Dei relinquitur Eccleſiæ,quod non aliqua ab iſtis perfidiæ magiſtris cõuellatur,oppugnetur,diuexetur calumnia. Idq́ue ea fit audacia, & impudẽtia,quaſi non parẽtibus orti Chriſtianis, ſed in media eſſent educati Barbaria aut Turcicæ, Iudaicæ ue ſuperſtitionis fellitis vberibus enutriti. Quibus cũ hominũ generibus ecquid obſecro vtiliter agatur de vera Scripturarũ ſentẽtia ex ipſis Sacrarũ literarum verbis petenda? cùm germanũ Dei verbum Catholicæ Dei Eccleſiæ abhinc centuriis annorum plurimis traditum, conſtanterq;ab omnibus habitum, & obtentum, quidam aut integris partibus mutilare, alij peruertere, alij denique de Græco & Hebræo,adeóq; Mahumetano non vereantur deprauare,adulterare,falſare. Idem vſuuenit & antiquiſſimis ſacrorum ritibus, myſticiſq; religionis Chriſtianæ ſacramentis,quæ à Chriſto eiuſque ſpiritu diuinæ ſunt adiuncta doctrinæ,parique auctoritate obſeruanda & obtinẽda iam olim tradita. ſine quibus vnquam religio non fuit exercita, ſicuti iuxta prophetarũ oracula neceſſe fuit nouam religionem

Vera demũ eſt Scripturarũ intelligentia,ſi tecta & orthodoxa nitatur fide.

Ex peregrina & falſa Scripturarum intelligentia orta eſt iſta innumerabiliũ ſectarum diabo li meſſis.

Verè Antiochi sunt & Iuliani, qui Apostolicas Ecclesiis tollere conantur traditiones.

nouis peragi ritibus,legitimisq; ceremoniis. Quas cum Christus Apostolique viuo suæ vocis oraculo Ecclesiis tradiderint, vsuque perpetuo præscripserint,non minus sanè fuerit irreligiosum,ne dicam impium,eas de medio tollere , q̃ sacrilegas manus sacris literis exurẽdis cum Antiocho, Diocletiano,aut Iuliano adferre. Quod tanta veritatis luce equidem arbitror perfusum,vt aduersarij non Catholicorũ,sed Domini & Christi,eiq; tam ingenti coniuratorũ manu vbiq; grassantes ipsi nõ possint inficiari. Negantibus enim phanaticis Swẽcfeldianis, aut aliis deliris, sacrarum scripturarum auctoritatem;non habent quod obiiciant,aut pro illarũ regno cõstituendo dicant, quàm eas esse Dei spiritu Ecclesiis traditas.Hãc fidei regulam dum ipsi suis pro inuicto obiiciũt ariete aduersariis,sibi applaudẽtes canũt,Io triũphe.Vbi verò nos & illis& ipsis eundẽ opponimus,innumeris nos incessunt maledictis,quòd humanis nitamur traditionibus. Quod nunc de hac Scripturarũ diximus traditione,locũ etiam habet de piis Christianæ religionis ritibus & sacris ceremoniis; puta de Dominico die colẽdo,de baptizandis etiam infantibus,eisdemq; exorcizandis,de cruce signandis,aliisque id genus variis ritibus; quos vnà nobiscũ concorditer obtinere pergunt plerique omnes Confessionis Augustanæ professores.

Euangelici Catholicis inuidẽt, quo ipsi potiss. aduersus suos nituntur aduersarios Anabaptistas, aut Swẽcfeldianos,aut etiam Caluinistas.

Cap. x. Facilẽ fore concordiæ cõciliationẽ de traditionibus humanis,ob quas aiũt Cõfessionistæ se coactos Concilium Tridentin. recusare.

Istivsmodi autẽ ritus tam ad fidem instruẽdam , q̃ ad mores siue vitam Christianorũ informandam, appellamus traditiones non scriptas;quas continua successione in Catholica Christi Ecclesia cõseruatas Con. Tridenti. D.Pauli monita sequutũ statuit pari pietatis affectu & reuerentia suscipiẽdas atque venerãdas. Quarũ originem si aduersarij oculo nõ inuido animoque candido perscrutari nõ grauarentur;nullo negotio, quę de traditionibus verbosior,q̃ difficilior Ecclesias vexat cõtrouersia,cõsopiatur. Criminantur enim Catholicos,quòd humanas in Ecclesiam inuexerũt traditiones : nos humanas negamus;diuinas,Apostolicas,Euãgelicas affirmamus. Illi humanas obiicere plurimis cũ maledictis,inexhaustisq; conuitiis exprobrare nõ desinunt: nos tales pernegamus. In re igitur consensus est,humanas traditiones nõ esse in Ecclesiam recipiendas,nullũ eis locum esse debere;quas & nos adeò execramur, vt Anathema dicere nõ dubitemus, quisquis humanas in Ec-

Cõsensus de traditionibus humanis in Ecclesia non obtinendis.

clesia

clesia Dei traditiones aut inuehendas dixerit; aut, si quæ longo forte vsu receptæ sunt, voluerit obtinendas. Hanc sentētiam si illustrissimi Principes electores & illust. Imperij ordines probè haberent aut perspectam, aut persuasam, nō sibi existimassent inter caussas recusati Con. Triden. (vti inquiunt fol. 271.) necessarias & vrgentes & hanc recensere; quòd tertio eius synodi consessu decretum factum fuit de traditionum (inquiunt fol. 273.) humanarum auctoritate, hoc videlicet, Præcepta & traditiones humana auctoritate constitutas, & consuetudine Ecclesiæ obseruatas non minore pietate & reuerentia seruare oportere, quàm quæ per spiritum S. tradita sunt à Prophetis & Apostolis in scripturis sanctis. Huc allegant Concilij Tridētini 3. Sess. verba, Sacrosanctum, &cæt. Synodus omnes libros tam veteris quàm noui Testamenti, nec non traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur.

Cur Concilium Trident. recusarint protestātes, causa ostēditur falsa.

RESPONSIO LINDANI.

Iudicet hîc Lector candidus, quàm parum candidè præclari illi Principum Confessionis Augustanæ delecti defensores suum agant negotium. Tragicis vbique vocibus reboant, Catholicos humanas inuehere traditiones. In cuius probationem vbi ventum est, manifestissimæ ipsi sese conuincunt vanitatis: Præcepta & traditiones humana (inquiūt) auctoritatate constitutas, decretum est in Concilio Tridentino, non minore pietate & reuerentia seruare oportere, quàm quæ per Spiritum sanctum sunt in Scripturis tradita. Atqui, boni viri, attendite, obsecro, attendite, quam cæco istic errore hallucinantes fallimini, aut certè fallere vultis. Verbum nullum est toto hoc Con. Trident. decreto, q humanæ meminerit siue auctoritatis, siue traditionis. Quod enim generaliter dicitur de traditionibus, vos ad humanas detorquetis. Quod q̃ improba vos feceritis cum calumnia, pio Lectori vel ipsis ex verbis Decreti à vobis allegatis fiat luce clarius meridiana: quæ si dissimulassetis, aliquē imperitis fucum facere potuissetis: nūc tam est

Falsum affingūt Catholicis Cōfessionistæ, quod ex verbis Cōc. Tri. ab ipsis allegatis demōstratur.

eſt perſpicuũ vos de lana,quod vulgò dicitur,rixari caprina, vt nulla ſit opus prolixiore confutatione. nam diſertè Con. Tridẽtini patres explicarunt, de quibus loquantur traditionibus pio affectu iuſtaque reuerentia omnibus Dei cultoribus ſuſcipiendis. „ Synodus hæc legitimè congregata (inquit ſeſſ.3.) Tra„ ditiones (etiam præter ſcripturam vtriuſq; Teſta.) tanquam „ vel ore tenus à Chriſto vel à Spirituſancto dictatis pari pieta„ tis affectu ac reuerẽtia ſuſcipit & veneratur. Quis mortalium, obſecro,ſui compos,aut illo,ſi non Saulis inuido, certè contentionis ſpiritu non raptatus,audeat aſſerere his verbis tam claris,tam perſpicuis doceri præcepta humana,aut traditiones humanas eſſe piis aut recipiendas,aut obſeruandas? Iſtud ne quis vel ſuſpicari queat,palàm definitur,illas tantùm traditiones à Concilij patribus pio affectu parique reuerentia ſuſceptas, quæ vel ore tenus à Christo, aut eius ſpiritu ſancto ſunt dictatæ. Ac vt omnem ſemel iſti calumnioſiſſ.ſæculo (quo rabidum calumniæ regnum in primis,ſi vnquam alias,floret,atque tam in aulis,quàm in curiis;tam in foro , quàm in tonſtrino imperium poſſidet.) S. Synodus adimeret calumniandi aut criminandi anſam,expreſſiſſimis verbis explanauit , vndenam quis ad veritatem perſuadeatur , quænam ſint illæ traditiones aut Chriſti ore,aut eius Spiritu ſancto dictatæ , quas vnà cũ diuina Scriptura ſtatuit ſuſcipiendas, parique pietate cum illa venerandas . Subtexuit enim, Et continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas. Si quæ ergo reperiantur traditiones aut obſoletæ,aut non Catholicè per orbem Chriſtianum obſeruatæ,non hunc merentur dignitatis gradum. Quod igitur fol.274. aduerſus tam manifeſtam veritatis lucem oggàniunt Apologetici,quàm cæca plenum eſt, Deus bone, calumniandi libidine! At Tridentinum hoc Concilium & Papatus vniuerſus (inquiunt) contra hęc ſtatuit & decernit,traditiones humanas & inueteratas in Eccleſia conſuetudines pari auctoritate cum diuinis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis ac præceptis cenſendas ; nec modò illis æquiparari , ſed etiam præferri oportere; interpretationem etiam & intelligentiam ſacrorum librorum omnem, à conſuetudine & communi opinione traditionum, ſeu (vt honeſtè plerumque nominare ſolent) à conſenſu Eccleſiæ perpetuò eſſe petendam. Multa hic grauiter

Quàm accuratè ſimul & cautè omnis ſemel errandi aut calumniandi anſa de traditionibus ſit in Con. Tridentino præciſa.

peccant

peccant apologetici. Quod nugantur de humanis traditionibus, aut præceptis, de diuinis (quia aut Christi ore, aut Spiritu sancto dictatæ sunt) accipiendum fuit. Illarum enim nulla est in Conc. Tridentino mentio. Neq; calumniæ expers est quod aiunt, Concilium Triden. & Catholicos omnes docere nõ modò æquiparandam diuinis Scripturis, sed præferendam etiam interpretationem Scripturæ à communi sensu traditionum: quia hæc Scripturarũ intelligentia veritate subnixa veræ pars est Scripturæ diuinæ, quæ citra suum germanum sensum non est Ecclesiis præscripta, quem omnis semper Dei Ecclesia ex perpetuo suorum maiorum consensu est perscrutata, inuictoque spiritu contra omnes hostium varij generis insidias tutata. Quod ergo Euangelicis Confessionem Augustanam professis vsuuenit contra alios syneuangelicos de S. Eucharistiæ veritate, de puerorum baptismo & exorcismo, & S. crucis signo, vt sola scripturarum panoplia armati istos phanaticos spiritus solidè nequeát refutare: idem Catholicis aduersus hos & illos euenire solet, vt & ad diuinas traditiones non quidem scripto comprehẽsas, sed ore Christi, aut Spiritu sancto dictatas & per Apostolos Ecclesiis depositi loco relictas confugiát, quò suam doctrinam verè Euangelicam custodiat saluam, seruet incolumem, tueatur inuiolatam. Quæ igitur delecti Confessionistarum defensores aduersus illud Conc. Trident. decretum ex scriptura vel Patribus adferunt, vltrò corruere est necesse: cùm non humanas, sed Apostolicas, immo diuinas traditiones pari reuerentia cum Scripturis statuat suscipiẽdas, manifestam huius decreti impietatem (inquiunt fol. 272.) arguunt indubitata Scripturæ testimonia. Aedificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Atqui huic fundamento nixi D. Paulo fidem habemus præcipiẽti, vt teneamus traditiones, quas accepimus ab Apostolis, siue per epistolas, inquit, siue per sermonem: quæ posteriores sanè aliæ sunt, quàm Apostolicis sunt epistolis commemoratæ.

Calum ›› ››

Responsio ad loca Scripturarum contra traditiones Ec. obiecta.

Porrò quod ex Esa. 29. & Matth. 15. obiiciũt, Frustrà me colunt docentes mandata & præcepta hominum, nihil aduersus decretum facit. sicuti nec quod ex Marci cap. 7. aut Colos. 2. nec ex Ezech. 20. adferunt, quia mandata hominũ, vt Paulus ait, mente corruptorum damnant istæ diuinæ voces: non ›› ››

traditiones Patrum, qui à Christo aut eius spiritu eas dictatas posteris transmiserunt. Deinde his velitationibus defuncti Confessionistarum patroni ad testimonia Patrum transcurrunt: quæ non minùs huic impiæ opinioni (inquiunt fol. 275.) aduersantur. Quod ex Augustini epistola 119. adferunt, non omnes traditiones non scripto Ecclesiis relictas taxat: sed quorundam tantum præsumptiones, siue morosas nouorum rituum constitutiones; non illas fidem aut mores concernentes, sed leuiculas, qualis erat per Africam neophyto suam per octauam siue hebdomadam Albarum, qua candida vtebantur recens baptizati, non esse nudo pede terram calcandam. Huius generis & hodie non pauca sunt aureis Augustini verbis deploranda, quæ pij omnes optant suæ regulæ Euangelicæ reddita, vbi hominum aut auaritia aut superstitione à vero suo vsu reperiantur deprauata; qualis est, modò traditionis nomen mereatur, plurimos de futili debito excommunicari, aut nescio quo contemptu hominum excommunicari grauiùs, quàm qui mentem vinolentia sepelierit, aut luxuria, lenocinio, simonia, aut sacrilegio defædarit. Porrò quod ex sancto Hilario adferunt, traditiones illas hominum docet eradicandas, quarum fauore (inquit) legis pręcepta transgressi sunt. Tales Catholici nec habemus, nec propugnamus; nedum à Concilio Tridentino diuinis Scripturis comparantur aut suscipiuntur. Quod ex Origene adferunt, nullum imitandum,
» sed propositum nobis esse Christum Iesum ad imitandum,
» non Apostolorum actus & Prophetarum gesta; illud exem-
» plar firmum esse & propositum solidum; quod qui sequi cupiat, securus ingrediatur: nihil diuinis aduersatur traditionibus; quæ ad imitandum Christum, aut saltem Apostolos viam monstrant. Origenes verò illud dixit contra illorum superstitionem, qui illos sectantur magistros, qui aliter docent, aliter faciunt: Si quærimus nobis culpabiles (magistros) ad æmulandum (inquit homil. 7. in Ezechielem) aduersus præceptum Domini facimus, qui mandauit doctrinas
» magistrorum magis considerari debere, quàm eorum vitas.
» Atqui Conc. Trident. iubet traditiones non magistrorũ impu-
» rè, aut impiè viuentiũ, sed Christi & Apostolorũ venerandas.

Respõsio ad Patrum sentẽtias.

Ex epist. ad Ian.

Traditiones hominum quales abolendæ apud Catholicos passim inueteratæ.

Origeni atq; Cypriano mire cõsentiunt Conci. Trident. Patres, qui Christũ eiusq; spiritũ in Ecclesia docent audiendum.

Vnde

Vnde cũ D. Cypriano gratias agimus Deo Patri, vt Filiũ suum dilectum audiamus in baptismo præcipienti, quia nos eius magisterio commendauit. An non sic & Con. Tridentini Patres, quando vnà cum Scripturis Christum & eius spiritum audiendum docent? Certè illa Concilij verba prorsus per omnia Cypriani dicto respondent. Nos verò ex præcepto tuo (ait sermon. de baptism.) eius doctrinæ nos tradimus informandos (quia ore eius nobis sunt traditæ) & inhærentes ei libenter eum duce spiritu sancto omni tempore audiemus: quia eius spiritu dictante Catholicæ Dei Ecclesiæ sunt per Apostolos traditæ.

Postremò ex Concilio Gangrensi adferunt tale decretum „ esse factum. Si quis à lege diuina discedens (inquiunt fol. 277.) „ nouas subinde comminiscatur traditiones & constitutiones, „ anathema sit.

Mirifica istos præclaros Confessionistarum Patronos fingendi quodlibet, tenet libido. Istius enim Canonis, quem tanta cõfidentia allegare audebant, ne verbum quidem vnum toto extat Concilio Græco, aut Latino. Nulla etenim huiusce rei toto in Concilio est significatio, nullum indicium, nullum vestigium; immò contraria prorsus, eaque ex diametro, definitio: ita vt nullum Concilium doctrinam Tridentinam suis verbis magis stabiliat aut statuat, quàm huius Gangrensis Concilij Canon XIX. & eiusdem cùm præfatio, tum Epilogus.

Canon fictitius allegatur à fraudulentis Cõfessionistarum patronis.

Istius doli mali malè sibi fuisse conscios istos fidelissimos Confessionistarum Patronos indicio est, quòd neque Canonem, neque locum recitant, vnde illud suum fictitium Decretum confirmetur: quod alias ferè semper faciunt perquam diligenter & strenuè. Sed vt non ad viuum resecemus hulcus, sententia etiam istius Canonis per eos allegati aduersus Concilij Tridentini Decretum, aut Catholicorum doctrinam nihil prorsus facit. Si quis enim à lege Dei discedat, euestigio nobis est Anathema. Porrò tantum abest, vt Concilium Gangren. Apostolicas non scriptas damnet traditiones, vt 3. aut 4. locis stata Ecclesiæ ieiunia, & alias non scriptas Apostolorum traditiones de virginitatis, atque continentiæ proposito disertè approbet.

Traditiones Ec. non scriptas de certorũ dierum ieiunio & similes confirmat Conciliũ Gangrense ab aduersariis allegatum incautè.

 Dam-

Traditiones humanæ quales à Con. Gangrensi meritò dânatæ.

Damnat quidem aliquot traditiones; ſed Euſtathij Manichæi verè humanas, verè impias, verè dæmoniacas: quas & nos
conſtanter execramur; quales ſunt, mulieribus vtendum eſſe
1 ad iuſtificationem maſculorum veſtimentis, cibos carnium il-
2 licitos eſſe: Ieiunia quæ in Eccleſia prædicantur, contemnẽda
3 eſſe, aut die Dominico ieiunandum: In domibus coniugato-
4 rum orandum non eſſe, neque oblationibus ibi factis commu
5 nicandum: Nullum in coniugio collocatum: aut diuitibus
6 qui non omnibus renunciant, ſpem eſſe apud Deum. Tales
7 igitur nobiſcum damnat Concilium Gangrenſe traditiones.
8 Non autem omnes in vniuerſum damnaſſe, ſed pro legitimis quaſdam agnouiſſe, adeóque approbaſſe vnus demonſtret Canon 19. qui eos anathemate damnat, qui tradita Chriſtianæ Eccleſiæ ieiunia, & à Chriſtianis in commune cuſtodita citra iuſtam corporeæ neceſſitatis cauſſam ſoluerit aut violarit. Sed ipſum potius Canonem audiamus, quò magis iſtorũ delectorum apologeticorum publicè innoteſcat perfidia.

Tradita Chriſtianis ieiunia mandat Conci. Gangrenſe obſeruanda.

" Si quis eorum qui continentiæ ſtudent abſque neceſſitate corporea, tradita in commune ieiunia, & ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſoluit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit. An diſertiorem vocem noſtris pro Eccleſiaſticis ieiuniorum & ſimilium traditionibus quis deſideret? Anathema ſit, inquiunt Patres illi Gangranæ paululum pòſt Concilium Nicenum, ſub annum ferè Domini 328. ſi quis τὰς παραδιδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας. Tradita in commune omnibuſque præſcripta ieiunia, & ab Eccleſia obſeruata ſoluerit. Porrò ne vllum ſuperſit dubium Patres iſtos vetuſtiſſimos Chriſtianis Apoſtolicas voluiſſe obſeruandas pręter ſcripturá, traditiones, tria adtexemus ex Conc. huius epilogo verba. καὶ πάντα συνελθόντας εἰπεῖν τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν Ἀποστολικῶν παραδόσεων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα. Et vt omnia ſummatim dicamus, inquiunt, quæ à diuinis ſcripturis & Apoſtolicis traditionibus ſunt tradita, fieri in Eccleſia optamus. An non hîc lector candide verba decreti Tridentini agnoſcis? An aliquid Tridentinæ doctrinæ magis dicatur conſentaneum? An ex opulentiſſimo venerandæ antiquitatis Chriſtianę theſauro aliquid proferas, quod aduerſariorum doctrinam refutet manifeſtius aut ſolidius?

Canô. 19. de nô violandis ieiuniis Eccleſiæ traditis.

QVID-

QVIDQVID igitur tam pompatica verborum ſexquipedalium ſpecie à præclaris iſtis Confeſſioniſtarum delectis Apologeticis allatum eſt ſiue ex Scripturis, ſiue Cōciliis, ſiue Patribus, videt lector candidus, nihil prorſus aduerſus Catholicorum, aut Conc. Tridentini de traditionibus pio affectu venerandis atque reuerenter obtinendis doctrinam efficere: ſed illam iiſdem planè per ipſos aduerſarios allatis teſtimoniis magis ſtabiliri atq; ſolidiùs corroborari. De iis ago traditionibus, non humanis, ſed Apoſtolicis, immo diuinis, quæ iuxta Conc. Tridentini formulam, aut Chriſti ore, aut diuino eius ſpiritu per Apoſtolos Eccleſiis ſunt relictæ, atque per manus à ſui vſq; primordio continēter & inuiolabiliter nobis traditę. Hæ namque tam ſunt conſeruandæ, ac in finem vſq; ſæculi perpetuandæ Chriſti Dei Eccleſiæ prorſus neceſſarię, vt non ſolum Catholici iis neceſſariò vtantur ad ſtatuendos diuinæ auctoritatis libros, rituſque ad Chriſti Sacramenta antiquitus adhiberi ſolitos, ſi quis pertinaciter diuinam illorum & originem & inſtitutionem vrgeat: ſed ipſi etiam Euāgelici: quemadmodum iam dudum allatis luculentiſſimis de colendo Chriſtianis die Dominico, de baptizandis etiam infantibus, eiſdemque exorcizandis, & Cruce ſignandis, aliiſq; id genus plurimis demonſtrauimus. Vtrique enim tam Euangelici, quàm Catholici inuictum quoddam mirificæ auctoritatis pondus hiſce traditionibus Eccleſiaſticis inſidere ipſa re ac neceſſitate edocti agnoſcimus, adeò vt non raro plus momenti ad veritatis Euangelicę contra hæreticos victoriam, quàm minùs illuſtria Scripturarum teſtimonia adferre videantur. CAP. XI.

Hinc abs religionis Chriſtianæ vſque exordio in reuincēdis hæreticis, plus videmus Catholicæ Chriſti Eccleſiæ magiſtros vel illos Apoſtolicos, Irenæum dico, Iuſtinum, Polycarpum, Ignatium, Quadratum, Ariſtidem, alioſque innumeros ſolida nixos traditionum Apoſtolicarum doctrina, omnē expugnaſſe errorem fanaticum, quàm mera Scripturarum teſtificatione: quòd hæc varium ſubindè recipiat ſenſum; nec omnem, qui verè ac propriè ſignificatur, ita dilucidè ac planè præ ſe fert, vt refragantem prorſus conuincas. Illa verò certum habet dogma, quod varios in ſenſus implacabilis hæreticorum veſania detorquere non valeat.

Mox enim istos citra omnem tergiuersationem illa Paulina vox erroris conuincebat nefarij, si quis aliud Euangelizauerit, præter quàm accepistis, Anathema sit. Sic enim apud Eusebium D. Irenæus suos quondam condiscipulos Polycarpi auditores Florinum presbyterum Romanum & Blastum criminis ac furoris socium redarguit: Hæc dogmata Florine, quæ asseris, inquiens libr. 5. cap. 19. non sunt sanę sententiæ: hæc dogmata non sunt consona Ecclesiasticæ fidei: hæc dogmata ne illi quidem, qui de Ecclesia pulsi sunt, potuerunt vnquam commentari: hæc dogmata impietatem docent: hæc dogmata sancti Presbyteri, qui ante nos fuerunt, nunquam protulère, illi, qui & Apostolos viderunt, quos & tu nosti. Vidi enim puer te apud Polycarpum, qui narrare solitus erat atque recensere verba, quæ dicta à Domino ab illis (Apostolis & qui Dominum viderant) audierat, & de virtutibus eius ac doctrina. Et tamen omnia hæc σύμφωνα ταῖς γραφαῖς consona scripturis proferebat. Quod Diui Irenæi exemplum illustrem admodum huic quęstioni de traditionibus adferat lucem, certamq́; præsentis de scriptura controuersiæ definitionem, iuxta quam optatissima omnibus piis Ecclesiarum coëat concilieturque concordia. Cùm enim Florinum hæreticum scripturis solis allatis non potuisset Diuus Irenæus expugnare, pristinamque in veritatis viam reuocare, alteram admouit machinam, quæ perniciosum hominis vesani errorem pressiùs stringeret, latensque animi sinu pus virusque exprimeret atque extergeret.

Galat. 1.

Euseb. lib. 5. ca. 13. & 19. vlum docet traditionum Ecc. ad reuocandos hæreticos vtilissimũ.

Norat vir Dei scripturas certam & liquidam interpretationem à Presbyteris accipere, vti dudum eius verbis docuimus, qui cum successione, inquiebat, charisma veritatis certum acceperunt. Quod charisma veritatis quidnam obsecro dixeris aliud, quàm Dei donum, quo præditi Ecclesiæ Presbyteri de cælesti veritate ex Ecclesiasticis traditionibus diuinæ scripturæ concordibus decernunt atque iudicant, quid illi consentaneum, quid dissentaneum? Hæc est ergo vera concordiæ ratio, si Christiani præter Scripturam exemplo D. Polycarpi, nullas recipiamus traditiones, nisi scripturæ consonas: quemadmodum Catholici facimus. Nihil enim pugnans, aut ab ea dissentaneum docemus, aut fide moribúsue

Charisma veritatis acceperunt Ecclesiæ presbyteri cum successione.

Vera concordię ratio.

búſue tenendum profitemur, quod ſit diuerſum: licèt in ea non ſint euidenter, aut luculenter expreſſa omnia & vniuerſa: neque enim verum eſt quod temerarius ille Concilij Tridentini examinator rigiduſque cenſor Martinus Kemnicius, præclaræ ſapientiæ ſuæ opinione tumidus, ac militaris planè iactantiæ typho turgidus, inter alias futiles frigidaſque cenſuras plurimas fingit Pontificios ſimpliciter diſtinguere traditiones contra ſcripturam, eoſque pugnare pro talibus traditionibus, quæ nullo ſcripturæ teſtimonio probari poſſunt. imo Anathema eos dicere omnibus, qui quærunt συμφωνίαν traditionum Pontificiarum cum veteri ac nouo Teſtamento.

Martini Kemnicij cenſuræ contra Ec. traditiones refutatæ.

Ita quidem Kemnicius ſuas texere orditur nugas, quas Concilij Tridentini examen vocare arrogantiſſimum nugatorem non puduit. Quaſi verò difficile ſit vel impudentiſſimis quibuſque nebulonibus ſimili calumniarum & mendaciorum adeò improbiſſimorum farragine ſacroſanctum vexare Concilium Chriſtianæ Eccleſiæ Oecumenicum.

Olim Nicenum illud primum Concilium velut deliramentum audaculi aliquot damnare non erubuerunt, quod ab idiotis aiebant & indoctis Epiſcopis fuiſſet habitum: ſed noſtræ tempeſtatis Ariſtarchi, quorum facile principem locum ob Sophiſticam impudenter fingendi atque illiberaliſſimè omnium mentiendi artem ſibi vendicat Kemnicius, multò ineptiora ſimul & atrociora venerandis Concilij Tridentini Patribus obiiciunt, immo temerè affingunt ſuam contra conſcientiam crimina: quæ ſuo aliàs loco pro eo ac par fuerit, refutabuntur. Sed in præſentiarum audiamus obſecro, ecquid phaleratus iſte Rhetor atque Ariſtarchicus Concilij Tridentini (ſi Chriſto placet) examinator, hoc eſt totius orbis Chriſtiani cenſor ſuperbiſſimus Kemnicius, tanto dignum ferat hiatu. Sua enim ingenita fretus impudentia, ingenuique ſemel oblitus pudoris, mira, nefariaque Catholicis affingens mendacia, & calumnias multò manifeſtiſſimas, homo illiberaliſſimus ad exemplum illius Plautini militis vno ſpiritu difflare aduerſaria ſuo palato ſuperbiſſimo decreta conatur.

Sabinus Heraclææ.
Theognys Niceæ.
Marcus Chalchedonenſis.
Theonas Marazicenus.

Perſuaſum

Persuasum enim habuit homo vanissimus, nugacissima sua loquacitate manifestam se posse contaminare, immo obscurare, adeóque semel obruere veritatem toto terrarum orbe admirando fulgore non minùs conspicuam, quàm diuino consentaneæ omnium vbique & semper Christi Ecclesiarum doctrinæ lumine illustratam. Qui si egregiæ suæ literaturæ atq; eruditioni non vulgari parem copulasset animi ingenui candorem, sanctumque pacis Euangelicæ Christianęque concordię studium, haud sanè parum bene nostra de Germania fuisset meritus.

Cuius enim, quęso te mi Kemnici, pudoris ingenui, aut candoris Christiani, nedum pectoris Euangelici censeatur, quòd tam improbè Catholicos criminaris fol. 142. non solum veterum PP. scripta comminisci, aut adulterina vsurpare, aut magistros ceremoniarum (ais fol. 143.) suppressisse: sed diuinas etiam literas, inquis fol. 247. ad sua dogmata transformasse? Ad hæc D. Cyprianum & Cor. Romanum montanizare? Rursus Catholicos docere (ais fol. 241.) Ecclesiam posse ex falsis scriptis facere vera, ex veris falsa.

Decalogus mendaciorum Mar. Kemnicij in Catholicos magno ex calúniarum & mendaciorũ, quibus eius scatet examen, aceruo defloratus.

Item Papam Rom. nõ esse veritum (scribis fol. 253.) nouam fabricare scripturam Canonicam. Rursus Synodum Trident. affirmare (ais fol. 254.) ex Apocryphis libros se facere Canonicos. Denique, vt mendaciorum tuorum, quorum est infinitas, aliquem nunc faciamus modum, Decretales Roman. Pontificum non tantum æquari (ais fol. 255.) sed etiam præponi Scripturæ Canonicæ; idq; manifestissimo crimine falsi. Isto autem tuo, Kemnici, mendaciorum longè vanissimorum decalogo, aliisque plurimis alium in locum repositis, hoc nunc agẽdum; vt lector candidus atque veritatis reipsa Euangelicæ amans, semel perspiciat, quàm temerario planè consilio, inconsideratóque scripturiendi ardore sacrosanctum Oecumenicum totius orbis Christiani Conciliũ examinare denteque Theonino arrodere, atque censoria tua virga superbissimo cum supercilio arrepta sis aggressus damnare. Quibus namq; vel à limine salutata est schola Theologica, penitus videant, quàm friuolus iste nugator suas modò non deliras hac à controuersia sit frustra orditus censuras. Pleraque omnes traditiones, de quibus nunc ab Euangelicis Ecclesiæ istud dirum motum est certamen,

tamen, Catholici affirmamus, esse scripturis ortas aut fundatas: sed non ita euidenter inde colligi, vt refractarijs, aut cōtentiosis facere queāt satis; quales sint de die Dominica, de Christi descensu ad inferos, de baptizandorum, cruce signādorum, exorcismo, de paruulorum baptismo, de oratione sacrificioq́; pro mortuis, de Quadragesima, de sanctorum inuocatione, de voto virginitatis, aut castitatis, atque similibus. Has enim affinesque traditiones fidem moresque concernentes, Catholici docemus esse scripturis consonas, nihilq́; nos contra scripturas agere, aut peregrinum inducere, dum hæc Apostolico deposito Ecclesiis vbique omnibus concorditer tradita reuerenter obseruamus, posterisq́; sarta tecta transmittere satagimus. Quanquam enim hęc omnia apertis scripturarum testimoniis euidenter probari nequeant; idcirco Catholici, immo ne ipsi quidem Confessionistæ, (quod inferius de exorcismo & Crucis signo aliisque nobis concorditer atque consentaneè obtentis docebitur aptiùs) reiicienda, aut reiicientibus indulgenda putamus: sed propenso pietatis affectu, quæ vnà cum diuinis oraculis à maioribus accepimus, tuenda posteritatiq́; prodenda contendimus. Nec tam sumus insulsi aut stupidi, vt quid scriptura distet à traditionibus ignoremus. Tametsi enim pari pietatis affectu, ac reuerentia Con. Tridentinum, Apostolicas traditiones continuáq; successione in Ecclesia Catholica conseruatas suscipiat: non idcirco naturalem legitimumq́; tollit, qui inter ipsa est, ordinem, aut etiam auctoritatis gradum. Quod si candido aduersarij acciperent animo, non tot verbis superuacaneis istam agerent fabulam, quam de traditionibus instituere illis visum est. Calumniandi enim caussa eas vocant aut humanas, aut Papisticas, aut Pontificias: cùm Ecclesia Dei Catholica Conci. Tridentini decreto conformiter diuinas asserat, quippe vel oretenus (inquit sess. 4.) à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas. Maligni enim animi, pacisque minimè studiosi est cum Kemnicio aliisúe iniquis Censoribus illud decretúm Pandochæum corruptelarum & superstitionum, vereq́; Pandorę pixidem dicere, cuius operculo omne genus corruptelarum, abusuum, superstitionum in Ecclesia aut inuehatur aut defendatur. Rursus fol. 471. disputationes Catholicorū de traditionibus esse non Epitomen, sed Pandectas errorum &

Sess. 4. Discrimen grauiss. inter Scripturas & traditiones Apostolicas.

Fol. 412. Defenditur Decretum Conci. Tridé. de traditionibus Ecclesiasticis contra Censuras Matt. Kemnicij. Fol. 471.

H super-

„ ſuperſtitionum,à verò enim abeſt longiſſimè quod calũniatur
Fol. 93. „ idem Kemnicius,Pontificios ſua de traditionibus diſputatio-
„ ne hoc agere,vt abuſus qui pręter & cõtra Scripturæ regulá in
„ Eccleſia irrepſerunt,ſi modò latè pateant, & temporis aliqua
„ præſcriptione ſint confirmati,titulum habeant non tantũ Ec-
„ cleſiaſticæ conſuetudinis;ſed quod plus eſt, Apoſtolicarũ traditionum. Quam Kemnicij cenſuram non oſcitanter,quæſo Lector candide,expẽdere ne graueris.Hinc enim hominis ingenium quaſi ex vnguibus Leonem. Ait Cato noſter hac di-
„ ſputatione de traditionibus agi, vt abuſus qui contra ſcriptu-
„ ram irrepſerunt,titulo Apoſtolicarum traditionum defendan
Calumnia. tur. Atqui abuſus omnes, ſuperſtitiones omnes Catholici ſemel ex animo cupimus adeóq; annitimur abolitas. Illud enim Conc. Niceni elogion in vſum optamus reuocatum, τὸ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία,quod irreprehenſibile eſt,Catholica defendit ac vindicat Eccleſia. Quæ verò Kemnicius cum ſuis crepat ſuperſtitioſa,impia, contra ſcripturas inuecta in Eccleſiam,nos non modò ſuperſtitioſa negamus: ſed Apoſtolica,adeóq; ſcripturæ cõſentanea liquidis patrum orthodoxorum teſtimoniis docemus ita fuiſſe toti initio Eccleſiæ Chriſti pro vero Dei cultu citra omnem ſuperſtitionem tradita. Nam de iis potiſſimum agitur traditionibus,quæ, vti Concil.
„ Tridentinum diſertè profitetur,ad fidem moreſque pertinen
„ tes tãquam vel oretenus à Chriſto,vel à Spiritu ſancto ſint dictatę,& continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatæ. Manifeſtæ igitur calumniæ reus tenetur Kemnicius ,qui abuſus aliqua temporum præſcriptione confirmatos dicit ti-
Calumnia. tulo Apoſtolicarum traditionum à Catholicis defendi. Sed a-
„ trocior multo eſt illa calumnia eius altera,nempe hoc decreto
„ Con. Triden. ceu Pandoræ pixidis operculo omni genus cor-
„ ruptelarum,abuſuum,ſuperſtitionum in Eccleſiam aut inue-
„ hi,aut defendi: cùm de iis palàm profiteatur Concilium ſeſe
„ modo agere traditionibus,quæ ad fidem, ut ad mores pertinent Chriſtianos. Huius verò generis quaſdam traditiones eſſe omnibus Chriſtiani nominis non oblitis etiam citra Scripturarum teſtimonia ſuſcipiendas,vel Kemnicius ipſe non poteſt inficiari. Poſteà quam enim Catholicos falsò & contra cõſcientiam,accuſaſſet,quòd Patrum teſtimonia de traditionibus ſophiſticè

phiſticè (inquit fol. 369.) ſine diſcrimine commiſcēt, & ex vna, quod dicitur, fidelia omnes traditiones dealbant: quòd diſputationem ſtudioſè affectatis confuſionibus perplexã reddunt, quò prætextum, immo fucum ei concilient. Hæc aliáque nugatoria plurima vbi, inquã, accuſaſſet, fingit octo traditionum genera, quò ſic aduerſariorum manus elabatur. Vbi verò ſeſe arctius conſtrictum ſenſit, quàm vt ſaluo pudore ingenuo diutius Catholicis refragari poſſit, clamat, In Encomiis traditionum eſſe apud Patres veteres hyperbolas nimium tranſcēdentes. Quid non ad lepidi iſtius Rhetoris exemplum poetica eludatur hyperbole? Sed improbioris eſt audaciæ, quod Euāgelicos, certóq; Apoſtolicos ritus, qualis eſt S. crucis conſignatio, Quadrageſima & ſimiles ex Apocryphis ſcriptis, aut fictitiis aut adulteratis fingit ortos. Verùm de iſtis ſophiſmatibus inferiùs ſuo dicetur aptiùs loco. Cogitur nihilominus poſt eluſiones, omneſque ſuas diligenti ſanè ſtudio perquiſitas elabendi rimulas, veritate tandem victus quaſdam non ſcriptas traditiones ſuſcipere Kemnicius: vti quod ait D. Cyprianus, vinum aqua eſſe miſcendum in calice ex Dominica traditione, ſed hanc ait fol. 300. ſui oblitus extare ſcriptam. Vbi quæſo Kemnici? an alibi quàm apud D. Cyprianũ? an potius perpetuo Eccleſiæ Catholicæ vſu concorditer omnibus ab Apoſtolis extra ſcriptum tradito? Sed ſuffecit Rabbino dicere, hæc traditio ſcripta extat. Similiter traditionem Eccleſiæ, qua nobis, inquit fol. 306. in manum dantur Sacræ ſcripturę libri, reuerenter accipimus. At quanã ſcriptura? Vbi, obſecro, ſcriptum, Matthęi potius, quàm Mathiæ Euangelium fuiſſe ſuſcipiēdum? Lucæ potius, quam Thomæ? Marci potius, quàm Petri aut Pauli? An non hîc, velis nolis, agnoſcere cogaris, quaſdam fidei traditiones eſſe non ex ſcripto, ſed, vti ait Conc. Tridentinum indigniſſimè ac propemodum rabidè abs te deuexatum, ex continua ſucceſſione in Eccleſia conſeruatas piis omnibus ſuſcipiendas? Sed nihil patrocinatur Pontificiis, excipit Kemnicius fol. 306. hæc traditio. Eccleſia enim illa traditione fatetur, ſe alligatam eſſe ad vocem doctrinæ ſonantis in ſcriptura, & propagatione illius traditionis poſteritatem etiam ad ſcripturam alligatam eſſe docuit. Immò hæc traditio luce meridiana demonſtrat clariùs, diuinum Eccleſiæ Dei de ſcripturis iudiciũ, Chri-

Iugulat ſeſe Kēnicius, qui vi 11. genera traditionum fingens agnoſcit quaſdã ſine Scripturis ſuſcipiēdas Chriſtianis.

Fol. 401. Encomia veterũ PP. de traditionibus nugatur Kemnitius eſſe hyperbolas.

1 Vinum aqua miſcendum docet Kēnicius ex Ec. traditione ſine Scripturis.

2 Traditio Scripturarum ſuſcipiēda Kemnitio ſine Scriptura.

Eluſio Kemnitij refellitur.

sti spiritu magistro suggestum, diuinam non quidem tribuere, sed declarare scripturarum auctoritatem; quod dum facit, verè diuinas iudicandi de scriptis Apostolorum, aut Apostolicorum partes sibi suo sumit iure: ipsa re orbi professa penes se solam esse interpretandi scripturas auctoritatē, penes quam solam fuit eas approbandi, siue vti nunc loquimur, canonizādi.

An Ecclesia alligata ad vocem scripturæ.

Quanquàm igitur quod semel in Canonem est Ecclesiæ iudicio receptum, extra eam moueri vnquam nequeat: non idcirco tamen dicenda est Ecclesia alligata ad vocem doctrinæ sonantis in Scriptura; quasi plura aut pleniora fidei dogmata nō possit aut habere, aut accipere, quàm doctrina Scripturis illis expressa sonat: nam ea scripturæ vox ab Ecclesia Dei spiritu edocta quum suscipitur Canonica, in suæ cælestis doctrinæ corpus illustrandum aut explicandum coalescit alias verbi Dei partes absolutura: non eas, quæ nondum sunt scripto editæ, exclusura aut abolitura, hoc tam est in illo D. Pauli testimonio, Tenete traditiones quas accepistis, siue per epistolas, siue per sermonem, omnibus manifestum, vt vel Kemnitius hoc Paulino elogio, ceu pedica ineluctabili constrictus non potuerit inficiari, quin Ecclesia videatur mandato Pauli obligata ad tenēdas etiam traditiones, quę extra scripturam sunt ab Apostolis olim relictæ. Hìc tamen vbi callidus omnes elabēdi esset perscrutatus rimulas, pleno fatetur ore, Quod de veris Apostolorum traditionibus scriptum est, nō statim (ait fol. 129.) ad illas quæ à Pontificijs hoc nomine proponuntur, transferri debet. Si enim tam liquidò & certò probarint traditionem aliquam esse indubitatè Apostolicam, sicut ea quæ scripta sunt probātur: valeat sanè id quod Paulus dicit; Tenete traditiones quas didicistis, siue per epistolam, siue per sermonē nostrum.

Fol. 129. Kemnicius sibi laqueum parat dum fatetur Ecclesiā Pauli mādato obligatam ad tenendas traditiones extra Scripturas.

Certa cōcordiæ ratio ex Kemnicij verbis, modò iis stare velit.

Euge mi Kemnici, istam tibi gratulor ex animo sententiam: quam si constanter obtineas, facilè inter nos de traditionibus aliisque semel omnibus nunc in controuersia positis fidei dogmatibus conueniat. Iam Kemnicius rectā tenebat conciliandæ pacis Ecclesiasticæ viam, immo iam rectum æternæ salutis suæ recuperandæ (quàm extra Catholicam Christi Ecclesiam non esse inter omnes cōstat) iter ingrediebatur: sed prô dolor, genio nescio quo malo in deuia transuersus abripitur. Negat enim se his responsionibus (quas verè, inquit, ad hāc obiectionem

né poſſem reſpondere) nunc quidem vſurum. Quid ni vtaris, obſecro, mi Kemnici, ſi verè hæc reſpondeas? an veræ vnquam te pudeat reſponſionis? ſed ſentiſcebat callidus, in quaſnam anguſtias ſuæ ſibi redigerentur copiæ, tot argutis ſophiſmatibus ingenioſè fabrefactis ſtructæ, ſi ea ſuis illuſtraret verbis. Sed ne ſic elabi patiamur aduerſariũ: veritatis illuſtrãdę amor vetat. Nõ parũ enim lucis declarandis huius quæſtionis non tã ſua natura perplexę, quàm iſtius artificio inuolutæ atq; intricatæ tenebris adferat res illa diſſimulatoriè à Kẽnicio prætermiſſa. Valituram Pauli ſententiam fatetur Kẽnicius pro traditio- »
nibus Eccleſiæ non ſcriptis, ſi tam liquidò (inquiebat) & certò »
Catholici probauerimus traditionem aliquam eſſe Apoſtoli- »
cam, ſicuti ea quæ ſcripta ſunt, probantur. Eia age Kemnici, placet conditio: æquus modò nobis obueniat arbiter. Cùm enim eadem ac pari prorſus auctoritate tradantur ab Eccleſia infidelibus ad Chriſtianiſmũ venientibus & S. Biblia, & Symbolum, & baptiſmus, & alia Chriſtianæ religionis vitęque conformandæ dogmata, an non æquè liquidò ac certò illa ſe dicit à Spiritu Dei accepiſſe omnia? Si de ſcripturis Apoſtolorũ nomine extantibus Eccleſia Chriſti Catholica, dum has ſuſcipit, illas reiicit, meretur ſine ſcriptura fidem apud ſuos indubitatiſſimam, reclamantibus licèt Iudæis, reclamantibus licèt falſis aliquot Chriſtianis; an non apud pios ſuos obſequenteſque filios fidem etiam merebitur, dum affirmant tibi eiſdem ab Apoſtolis traditum inter alia, orandum atq; offerendum eſſe pro fratribus hinc migrantibus, pueros eſſe baptizãdos & cruce ſignandos, Quadrageſimam eſſe ieiunandam, Vota caſtitatis non poſſe citra ſacrilegium violari, Sanctos rectè ac religioſe, vt pro nobis & vna nobiſcum Deum orent, inuocari? Neq; verò hæc aliáque huius generis plurima ſolùm voce ſuorum miniſtrorũ prędicat vera Dei Eccleſia: ſed clariſſimis ſuorum doctorum totum per orbem illuſtriſſimorum teſtimoniis ex ſcriptura demonſtrat luculentiſſimè, immo rebus ipſis omnes, quantumuis refractarios, quantumuis inuidos, quantũuis malignos (modò verum videre velint) conuincit liquidiſſimò, ita ſe ab Apoſtolis initio accepiſſe: hoc eſſe verè Apoſtolicum illud depoſitum ſuis ſucceſſoribus concorditer toto vbiq; orbe cõmendatum. Quis enim ſol meridiem illuſtrat clarius, quàm

Ecclesia Dei Catholica suam demonstrat doctrinam verè atq; certò Apostolicam, adeóque Euangelicam ex vniformi, immo eodem, atque eo perpetuo Christianorum prorsus omniũ, qui sub cælo sunt, vsu, parique obseruatione? Rogetur Oriens, rogetur Occidens, rogetur Meridies, ecquid ante nostrũ Septentrionem, qui velut gentium reliquiæ tandem post omnes orbis nationes tardi ad Christi veniebamus præsepia, his de traditionibus obtinuerit? Ecquid initiò illarum quælibet aliis omnibus cõcorditer Ecclesiis acceperit? Ecquid perpetua quasi voce suis à spiritu Dei inscriptum tabulis non lapideis, sed carneis suo populo Christiano in hunc istius Germanici schismatis articulum vsque proposuerit, præscripserit, prædicauerit? Cæterùm quia hanc certissimam longéque omnium liquidissimam iuxta ac indubitatissimam eruendæ veritatis atque adeò conciliandarum Ecclesiarum methodum Kẽnicius nunc ingredi recusat, & quasi veritatis claris. radio perstrictus ad adamatas suas refugit tenebras, lustra sibi quærens atraque latibula, veritus miser, ne si cæpto pergat itinere, lumen cæli dudum salutariter affulgescens videat, quo illustretur, sanetur, vnique Christi ouili vniatur: Hæc nobis nunc quidẽ paucis erit persequenda, & quantum Dei Opt. clementia fauerit, oratione breui detegenda atque explananda: quo Deus Opt. errantium omnium fratrum misertus, cæcatos, immo fortè veriùs
„ clausos suæ veritatis sole illustret oculos, ne suæ saluti infęlices
„ more omnium hæreticorum, repugnent diutius. Concedo igi-
„ tur tunc (ait Kemnitius fol. 129.) cùm Paulus Thessalonicẽsi-
„ bus hæc scriberet, non omnia quæ de Christi & Apostolorum
„ doctrina tenenda cognituque sunt necessaria, scriptis, quãtum
„ satis est, fuisse comprehensa. Sed quãdo tandem Kemnici ista imperfectio scripturarum, & vti appellas fol. 151. insufficentia fuit expleta? Post constitutum (inquit fol. 131.) & absolutum Canonem scripturarum noui Testamenti. Sed quonam verbi
„ Dei testimonio anile istud somnium confirmas? Certè nullo.
„ Adfers quidem simile ex veritate librorum vete. Testamenti: Sed nihil efficere, conuincit liber Machabæorum, quem vos cum Pharizæis atque Saducæis à sacro diuinarum Scripturarum impiè reiicitis Canone. Nullus sanè tam est insulsus aut ineptus, qui inficias iuerit, post illam Pauli Epistolã multa esse

Nõ omnia fidei dogmata Kẽnitio fuêre aliquãdo scriptis comprehensa.

à Sp

à Spiritu ſancto in Scripturas redacta fidei dogmata: ſed ea omnia atque vniuerſa eſſe ita ſcripto comprehenſa, vt ſolũ credenda ſint, quæ expreſsè ſunt ſcripta, nullus diuinæ ſcripturæ locus docet. Atqui Paulus (inquit fol. 132.) longè aliter loquitur de ſcriptura ad Timotheum 2. ſub finem vitæ. Aliter quidem, ſed nihil quod tuam quidẽ cauſam iuuerit, immo prorſus delirũ iſtud tuũ illic ſubuertit ſomniũ. Quæ enim poſtea prolixis admodũ verbis demõſtrare conaris ex voce illa ἄρτιος, qua Paulus ad Timotheum eſt vſus, nihil aliud efficis, quàm idem de omni ſcriptura, ſingulisque eius partibus eſſe ſentiendum, quod D. Pauli ore Spiritus ſanctus nos docet, omnẽ Scripturam eſſe vtilem ad inſtruẽdum, ſiue perfectum reddẽdum hominem Dei. Fateor, ſi Pauli ſententia tantum diceret, Scriptura vtilis eſt (inquit Kemnicius fol. 172.) ad doctrinam etcęt. non ſatis firmiter inde colligi ſufficiẽtiam Scripturę: Sed Paulus pronunciat omnem ſcripturam diuinitus inſpiratam ita eſſe vtilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionẽ in iuſticia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum abſolutus, id eſt, vt miniſter Euangelij ſit ἄρτιος, quod ſignificat ſanum, integrum, omnibus partibus & numeris abſolutum, atque ſufficientem: de qua verò ſufficientia & integritate Paulus hoc intelligi velit, ipſe explicat, cùm nominat hominem Dei, vt ad omne bonum opus, quod ad miniſterium ſcilicet Euangelij requiritur, ſit ἐξηρτισμένος, quæ vox ſignificat, qui præparatus eſt, inſtructus & quaſi ad finem deductus & abſolutus eſt. Ita Kemnicius ſuam Scripturarum, quam dicit, demonſtrat ſufficientiam. Habet quidem vox Paulina interdum integritatis aut perfectionis ſignificationẽ: ſed hoc loco habere non poſſe, ipſe Paulus ſuis verbis luculentè ſatis declarat, cum Timotheum ſuum admonet, vt vnà cũ ſuis epiſtolis accuratè cuſtodiat depoſitum, atq; formam ſanorum verborum typumq; doctrinæ traditæ vigilanter obſeruet. Nã vox ἄρτιος numerũ parem atq; integrum; item ſanũ, & totum ſignificat. ſic & ἐξαρτίζω, paro, apparo, præparo, & perficio: vnde Eraſmus hoc loco rectiſſimè vertit apparatus. Nã vox ad ſummum, ſignificat plenè apparatus; ſicuti numeri perfecti, ita quidem perfecti ſunt, vt aliam admittant perfectionẽ. Quare hoc Kẽnicij fundamentũ ad ſtatuendã Scripturarũ perfectionem, ſiue

Scripturam ſolã nõ ſufficere ad omnibus fidei dogmatibus & ritibus inſtruendũ hominem Dei.

Sufficientia Kẽnicij à D. Paulo euerſa oſtenditur, cũ mandat Timotheo depoſitum cuſtodire: quod fuit extra Scripturas, ſicuti & forma ſanorũ verborum.

ἄρτιος quidnã ſignificet Diuo Paulo.

siue vti ait, sufficientiam, minime firmum est. Non enim hæc Pauli sententia (vti Kemnitius fol. 171. fingit) vera est Canonizatio scriptorum noui Testamenti: quia nec omnia tunc erant edita (quod ibidem fatetur de Iohannis Apostoli scriptis) neque de sua ad Hebræos, aut alios epistola quicquam peculiare hîc Paulus tradit. Fuit ergo ad has vindicādas, sicuti & ad Iohannis scripta in Canonem assumenda, opus alia Canonizatione, id est diuino Ecclesiæ Dei Catholicæ iudicio, quod germana à nothis discerneret, apocrypha damnaret, vera in Canonem allegeret, aliisque diuinis scripturis copularet.

Epistola ad Timotheum 2. est Kemnitio Scripturarum noui Testa. Canonizatio: licèt agnoscat nondū fuisse tunc omnes scriptas.

Sed quo magis appareat quàm friuolum sit quod Kemnitius hoc Pauli loco statuere conatur Scripturarum sufficientiam, ita vt post hunc diuinarum scripturarum quē dicit Canonem nihil sit credendum, quod extra eam non scripto est comprehensum, ipsum potius D. Paulum consulāmus huius quæstionis certissimum arbitrum. Bonum, inquit, depositum custodi ô Timothee: & nonnihil superius, formam habe sanorum ver borum, quæ à me audisti in fide & dilectione in Christo Iesu. Vbi depositi nomine, an aliud rectè intelligas, quàm quod Ter tullianus de præscript. annotatū reliquit, Traditiones doctrinę per viuam vocem Ecclesiis assignatæ? in quem sensum & D. Ambrosius, & D. Chrysost. aliique PP. Orthodoxi omnes hęc accipiunt Pauli verba, vti alibi confirmamus. Hæc tā sunt omnibus perspicua, vt hac ipsa luce perstrictus, salutariterq; admonitus, sed suæ sibi sophistices nimium adamatæ admirator Kemnicius posteà sibi obijciat: Sed Paulus tamen Timotheo (inquit fol. 174.) non tantum Scripturam commendat, verùm etiam traditiones, quas viua voce ipsi tradiderat, Quæ audisti, inquit, ex me, quæ didicisti, quæ contradita sunt tibi, et cæt. Respondeo. Verum hoc est, sed vide quàm simplex & plana sit solutio. De suis traditionibus Paulus dicit: Hæc præcipe & doce. In illa igitur doctrina, quā Paulus viua voce tradidit, absq; omni dubitatione comprehensa fuerunt omnia, quæ ad dogmata & mores necessaria sunt. Et de illis Pauli traditionibus rectè dici potuit, sunt vtiles ad docendum, vt homo Dei sit ἄρτιος ad omne opus bonū absolutus; quia verò Paulus idem de Scriptura pronunciat, omnino igitur necesse est eandē doctrinā, quàm Paulus viua voce tradidit, in Scriptura esse comprehensam,

D. Pauli depositum Timotheo quidnam sit.

prehensam, & paulò post: Vtrumque igitur verum est, homo ,,
Dei tenés Pauli traditiones, ἄρτιος est in ministerio: & tenens ,,
Scripturam diuinitus inspiratam, ἄρτιος est in ministerio, quia ,,
eadem est doctrina quę primo viua voce fuit tradita, & po- ,,
steà in scriptis comprehensa. Istam tuam conclusiunculam, Kemnici, negamus legitimam: quia ex vero falsum sophisticè colligit. Nusquam enim docet Scriptura, quod tibi sumis, eandem doctrinam viua voce initio traditam, esse omnem scripto comprehensam; immo diuersum planè nō indisertè loquitur: quia D. Paulus suum admonens Timotheum hortatur, vt quę sibi verbo sunt concredita, quæ audierit, quæ ab ipso didicerit, pro thezauro, immo deposito fidelibus Dei ministris tradendo conseruet. Itaque plus viua voce acceperat Timotheus suis prodendum, atque per manus quasi tradendū, quàm Paulinis aut vllis comprehensum fuit Scripturis. Iam sibi sua cùm non satisfaceret Kemnicius sophistica elusione, aliam quærit elabendi rimam. Suggerebat enim homini (vt est mirificè religiosus) conscientia, etsi non parum alias conuulsa, atque per vim contra veritatis agnitæ Testimonium impiè adacta, Verbum Dei nouis istis suis figmentis ex diametro aduersari. Neque locum habet (inquit fol. 175.) illa obiectio 2. Thessaloni. 2. Tenete traditiones siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Illud enim tunc dixit Paulus, quando libri noui Testamenti primum cæperant conscribi, & nondum erant omnes editi, sed circa finem vitæ suæ, cùm iam cōscripti & editi essent libri noui Testam. ita de scriptura loquitur, quòd duo æquipollentia constituit, traditionem & scripturam, vt qui vnum habet, habeat & alterum; idque inde, & ideo, quia idem scriptum est quod traditum fuerat. Istud vanum esse, ipse Kemnicius paulò ante sui oblitus declarauit, asserens fol. 171. Paulum istam epistolam ad Timoth. secundam scripsisse, cùm iam omnia fermè (inquit) extarēt Canonica scripta noui Testamenti. Rectè illic moderationis notam (fermè) adiecit, cuius si hîc meminisset, suam meritò repressisset ipse temeritatem. Quo pacto enim Paulus faciat æquipollentia, Scripturam & traditiones, cum ipse aduersarius agnoscere dudum suis verbis fuerit coactus, non omnes illo tempore fuisse in lucem editas noui Testamenti scripturas? quod vti de Iohannis epistolis ipse

Timotheus à Paulo plus acceperat depositi loco aliis tradēdum, quàm scriptis Paulinis aut aliorū fuit inclusum.

Kēnicius æquipollētia esse fingit traditionē & scripturam.

Kemnicius sui oblitus sibi aduersatur, suaq; imprudēs euertit somnia.

fatetur aduerſarius : ita & de eiuſdem Apocalypſi, de Iudæ ac Diui Petri vltima epiſtola erit agnoſcendum. Merum igitur eſt nugamentum, quod illud Pauli ad Theſſalonicenſes præceptum, Tenete traditiones ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonem; garrit Kemnicius ſuum habuiſſe locum eo tempore, quo Paulus ſcripſit, non item ſub vitæ finem: quia iam omnia fidei atque morum dogmata erant ſcripto comprehenſa. Nam quod initio Paulus ad Theſſalonicenſes appellauit traditiones per ſermonem (ſiquidem inter primas numerantur epiſtolæ ad Theſſalonicenſes) hac epiſtola ad Timotheū 2. appellauit τὴν παραθήκην depoſitum, quod porrò tradi mandat fidelibus Dei ſeruis, qui poſſint & alios docere. Hoc verò depoſitum quia D. Paulus diſertè diſtinguit à Scriptura, vti nobis concorditer Orthodoxi PP. dudum commemorati atteſtantur, & res ipſa manifeſtiſſimè iuxta ac neceſſariò euincit, merum eſt Kemnicij ſophiſma, quo res longè diuerſiſſimas, immo logica contrarietate oppoſitas conflare, aut veriùs confundere conatur in æquipollentias. Certè quod D. Paulus tot verbis Timotheum ſuum monet, idem D. Petrus apud vniuerſos, quibus ſecundam ſcripſit epiſtolam, agit, vt in ea, quam dudum Apoſtolorum concionibus atque magiſterio didicerant, perſtarent gratia ſiue doctrina: quam veram eſſe ideo aſſerit, ne calumniis paganorum, aut mendaciis ſophiſtarum, aut adulteriis hæreticorum à vero Chriſti Euangelio in priſtinos relaberentur errores, aut per nouas & peregrinas potius hæreticorum ſeducerentur doctrinas. Idem apertiùs prima docet epiſtola, verbum Dei Euangelicam definiens eſſe doctrinam ab Apoſtolis Eccleſiæ annunciatam. 2.

D. Paulo idem fuit traditio per ſermonem & depoſitum: puta doctrina extra Scripturas.

CAP. XII.

QVOD latiùs patere, quàm ad ſcripturas ſolas Apoſtolicas; nemo qui ſuæ eſt mentis, erit inficiando. Neq; verum eſt quod improbè ſuggillat Kemnicius, me docere D. Petrū illa epiſtola confirmare traditiones ſolas non ſcriptas. Lindanus fingit Petrum (inquit fol. 178.) in illa epiſtola tantū voluiſſe confirmare traditiones, quas ſine ſcripto acceperant. Si calumniæ definitionem tenet Kemnicius, viderit quonam Rhetorico Schemate, aut ſophiſtico potiùs elencho hîc ſeſe ab eius crimine ex-

An D. Petrus traditiones non ſcriptas tātum confirmet 1. epiſtola.

expediat. Vbinam, obſecro, mi Kemnici, hæc dico? aut, vti pro cenſoria iſthac grauitate pronuncias, fingo D. Petrum traditiones tantùm non ſcriptas illic confirmare? an non iſtius te diſpudet illiberalitatis, apertiſſimæque vanitatis? Ex profeſſo demonſtramus & Paulum & Petrum agere ſuis Epiſtolis, vt Chriſtiani doctrinam, ſemel traditam conſtanter ſeruent ſartam tectam, eamque obtineant inuiolatam atque hæreticorum fermento incontaminatam. Totum igitur doctrinæ Apoſtolicæ corpus, quod ſolidis ſcripturarum ſententiis, liquidiſque PP. veterum teſtimoniis declaramus eſſe ſcripto & non ſcripto comprehenſum, initióque Eccleſiis traditum, monet Petrus & Paulus Chriſtianis obtinendum, non alteram tantùm eius partem: vti nimis impudenter cauillatur Kemnicius nos fingere. Quod ex noſtræ diſputationis Methodo, & potiſſimum cap. 15. libr. 1. Panopliæ candidis clariùs liquet lectoribus, quàm vt fuſiore oratione illa cenſoris minimè candidi Kemnicij in nos conficta calumnia ſit refellenda: qui ſi præclaræ ſanè atque egregiæ ſuæ eruditioni parem animi candorem ſedulumque pacis Eccleſiaſticæ ſtudium Chriſtiano pectore dignum adiungere voluiſſet, plurimum profectò ſarciendæ Eccleſiarum concordiæ profuiſſet.

Verùm quia pſeudologiæ ſpiritu tranſuerſus actus florentiſſimo paſſim mendacij regno, quam oppugnatæ ac tantum non miſeræ per Germaniam reginæ veritati ſuam operam nauare maluit; nos futiles atque friuolas eius oppoſitiones, re vera, vti Paulus ait, falſi nominis ſcientiæ diſpellere, ſuoſque in fumos redigere pergamus.

Igitur non ſoli DD. Petrus & Paulus, ſed etiam Diuus Iudas Thadæus, qui vel vltimus Apoſtolorum ſcripſiſſe videtur, ſuos diſertè hortatur, vt pro cuſtodienda ſemel Sanctis, hoc eſt Chriſtianis fide tradita, certare non deſinant. Hîc me exclamare ait Kemnicius, folio 186. Iudam manifeſtè loqui de doctrina Apoſtolorum viua voce tradita. an non hoc longè veriſſimum? Certè ipſe inficiari ne- „ quis, nullam eſſe aliam (inquiens) Apoſtolicam doctri- „ nam, quàm quæ ab ipſis eſt tradita. Atqui iſtud extra controuerſiam eſt poſitum.

Sed de ea quęritur, an tota sit in literas relata? an verò quędam secretiora mysteriorum arcano viuę vocis oraculo Ecclesiis, earumque, iuxta Pauli monitum (vti ait Ambrosius, & Chrysost. aliique in panoplia recitati) præpositis potissimum tradita? tu quidem fortiter asseris, totam esse literis assignatam, scriptoq; comprehensam: sed an nos illustrioribus contrarium euincamus cum verbi Dei sententiis, tum orthodoxorum PP. testimoniis, pænes æquum lectorem esto iudiciũ. Multa enim non inueniri in Apostolorum literis, palam D. Augustinus, vt alios nunc silentio prætereamus, quos huc in Panoplia facere demonstratos temerè arrodit Kemnicius: cuius sophismatibus aliàs respondebitur fusiùs) profitetur lib. 2. cap. 7. cõtra Donatistas; & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiá, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Rursus multa esse quæ vniuersa tenet Ecclesia (inquit libr. 5. cap. 23. de bapt. contra Don.) & ob hoc ab Apostolis præcepta bene credũtur, quanquam scripta non inueniantur. Huius generis cùm sint oratio atque oblatio pro mortuis, sanctorum inuocatio, exorcismus, crucis consignatio, atque baptismus paruulorũ, votum castitatis, aliaque perpetuo Ecclesiarum omnium Christi vsu continuáque obseruatione vbique terrarum custodita, & intemerata consuetudine semper vbiq; omnibus obseruata (vti illic liquidò est ostensum, & inferius demõstrabitur copiosiùs) rectè Catholici credimus hæc ab Apostolis Christiano populo tradita & commendata, etiam si liquidis Scripturarum testimoniis non videantur aduersariis malignisúe refractariis certò ac liquidò comprobari. Hæc cùm sint ipsa luce magis perspicua, audebat tamen Kemnicius ouabundus, & ante victoriam triumphabundus exclamare: Quid contra hanc manifestissimam (inquit fol. 132.) veritatem vel specie aliqua verisimilitudinis dicere possunt Pontificij, non sanè video. At nunc te videre arbitror Kẽnici, quòd anteà, cùm istam Aristarchicam virgulam magno tibi supercilio Pontificiorum odio ebrius sumeres, non videbas. Quòd si nondum perspicis, paulisper, obsecro te tuam per salutem, deposito Pontificiorum odio (quod totum te transuersum abripuit, vt verum videre nequeas) rem ipsam citra omnem personarum cogitatum candido atque benigno intuêre oculo. Recogita, præclaro isto Concilij Trident. exami-

Panopliæ lib. 2.

examine temetipsum perspicua rei huius veritate adactũ docere, quasdam piis ceremonias siue scripto, siue traditiones nõ scriptas (ais fol.300.) obseruandas ex Dominica traditione. Quod si te minus mouet, veniat tibi tandem in mentem tuus ille præclarus tam nobilium in Pontificios sceleratissimè abs te confictorum mendaciorum decalogus dudũ recitatus, forte tibi redaperuerit oculos, vti clauus clauũ solet haud infrequens depellere. Sed magis tibi gestit animus (inquis) audire quid tui Andradij grandiloquentia contra hanc euidentiam proferre conabitur. Audies opinor, Kemnici, suo tempore à viro doctiss. non minus diserta, quam fortia solidaque: nam silere non patietur iniqua perinde ac improba isthæc nominis sui vexatio, & verè infesta accusatio. Verùm mirari subit, ecquur tibi animus tantopere Kemnici gestiat de grandiloquo (vt ridere voluisti) Andradij responso. Ne festines, Kẽnici, moneo: opportunum accipies responsum tuis fraudibus dignum. Certè magna nos tenet admiratio tãtopere gladiatorium istũ tibi animum gestire ad Andradij tui responsum audiendum: cùm stolidam istam voluptatem, si saperes, meritò reprimere, immo retundere deberet acceptorum haud ita pridem ab eo vulnerum plagarumque sanè grauissimarum memoria: quæ verecundis atque liberalibus hominibus parum queat esse grata. Vt enim hîc de aliis nihil agam, vnum illud commemorare non fuerit proposito alienum, quod te tam variorum eorundemque impudentissimorum (pudet me profectò istud toties ingeminare, sed tua cogit improbitas) mendaciorũ agat reum. An tibi volupe fuerit, nouum ab eodem audire nouorum tuorum mendaciorum catalogum, quibus istæ tuæ in Concilium Tridentinum (si Christo placet) scatent censuræ? Sanè si quid tibi esset reliquum aut frontis non effrontis, aut mentis non amentis, non tibi gestiret animus malè sanus plura audire, quę ruborem vel impudentissimæ fronti possint inserere, qualia videre est apud Andradiũ Coloniæ recusum fol.71.114. 111. 192. 166.317.& 611. Hæc aliquando, Christo Do. vitam aspirante, ociumque tranquillius largiente, copiosiora tibi tuus dabit aut Andradius, aut Lindanus: quibus tam lepidè tot infinitis tuarum nugarum locis putabas insultandum. Nunc tibi decalogum mendaciorum ex tuo Concilij Tridẽt. examine dudum

collegimus: vbi ocium fuerit centurias aliquot facilè suffarcinabimus. Sed vt ad rem, quæ agitur, pertractandam, in viam redeat oratio: hoc tantum dicimus, istam tuam, quam gloriosè adeò iactitas, manifestissimam veritatem seu euidentiam ex illa D. Pauli ad Thessalonicenses sententia; tenete traditiones siue per sermonem, siue per epistolam, contra dogmata nõ scripto tradita stabilitam, vltrò corruere, atq; in meras redigi nugas benè fumosas, euidenterq; apparere tenebras plusquã Cimmerias; quas loco isti clarissimo tuo ex Cimbrico astutè offundere conabaris, vbi prudens Lector cæcas tuorum sophismatum illi detraxerit præstigias.

Euanescit vltrò iactata Kemnicij illa gloriosa de abolitis traditionibus ouatio & triumphatio.

CAP. XIII. Traditiones Apostolicas non scriptas etiã tenendas post Apostolorũ scripta edita, nõ solum antea, vti nugatur Kemnicius.

VIS illud Pauli mandatum habuisse locum ante alias suas, vel aliorum epistolas scriptas, nunc non habere; post absolutum (inquis) & constitutum Scripturæ noui Testamenti Canonem. Istud figmentum esse, vel aniculis indignum inde liquet, quòd eius nulla est, ne leuissima quidem, nec in Diuo Paulo ipso, nec vllis Vet. PP. commentariis significatio: quasi D. Paulus non generali, sed temporali tantum decreto mandarit, esse illas Apostolicas traditiones non scriptas ad tempus quoddam tenendas atque seruandas: nimirum donec totum Dei verbum Euangelicum esset in literas relatum. Sed quando, obsecro te KEMNICI, definies esse hunc noui Testamenti Canonem constitutum: cùm ne hodie quidem vobis sit cõstitutus? quippe à quo non exiguas sacrilegè reiicitis verbi Dei partes, vti ad Hebræos, & alias epistolas cum Apocalypsi. Quo de sacrilegio, nunc non est dicendi locus. Vnum illud adtexam, quod istam tuam manifestissimam, quam dicis, veritatem, ipsissimam demonstret vanitatem, inauditamque tuam fictitiam euidẽtiam semel meros ostendat esse fumos. D. Irenæus Valentinũ atque Marcionem suis cum cohortibus Dei hostibus profligaturus, & Christianos semel omnes in doctrina verè Apostolica cõtra omnes omnium hæreticorum cuiussuis ætatis solidissimè confirmaturus, docet veritatem non alibi, neque apud alios magistros, quocunque tumeant titulo, quærendam, quàm in vna Christi Ecclesia ab Apostolis erudita: cùm in hanc (inquit libr. 3. cap. 4.) Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè

D. Irenæi antidotum aduersus omnes omnium hæreticorum pestes longè præsentissimum.

ea

ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis. Vnde oportet illos quidem deuitare, quos extra Ecclesiam constitutos vocat fures & latrones: quæ autem sunt Ecclesiæ; cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Vides hîc Kemnici, D. Irenæum vrgere Apostolicam viuæ vocis traditionem, etiam post absolutum vel tuo iudicio sacrũ noui Testamenti Canonem. Sed tuum occines, sat scio, coccysinum, hæc intelligenda esse de traditione veritatis, quæ sacris literis est comprehensa, & expresse scripto assignata. At placidus, quæso, audi, quónam pacto istam retundat pertinaciam sanctissimus Christi martyr, indubiusque Apostolicæ veritatis & Ecclesiasticæ traditionis testis Irenæus. Quid enim, & si quæ „ (ita continenter illis subtexit de veritatis traditione Ecclesiis „ Apostolorũ viua voce facta verbis) de aliqua modica quęstione „ disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere „ Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præ- „ senti quæstione, sumere quod certum & re liquidum est? „ Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent „ nobis, nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tra- „ diderunt iis, quibus commiserunt Ecclesias? Cui ordinatio- „ ni assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chri- „ stum credunt sine charactere, vel atramento scriptam haben „ tes per spiritum in cordibus suis salutem, & veram traditio- „ nem diligenter custodientes, vnum Deum cæli & terræ, eo- „ rumque per Christum Iesum Dei Filium fabricatorem cre- „ dentes. An ex professo diuinus ille vir, Kemnici, tuam nouam istam opinionem aptioribus potuisset refutare verbis? An vllum tibi iam reliquum est effugium, quin cogaris, velis nolis, agnoscere illud D. Pauli mandatum, Tenete traditiones, quas accepistis siue per epistolam, siue per sermonem nostrum; etiam post constitutum Scripturarum Apostolicarum vel tuo arbitrio Canonem esse Christianis seruandum? ait enim Ecclesiam esse diues depositorium, hoc est archiuum fidelissimum iuxta atque opulentissimum, non scripturã solam; à qua Ecclesia ceu certissima sui Apostolici depositi custode & interprete doctissima omnis petẽda Christianis veniat veritatis Euãgelicę doctrina. Quare te, mi Kenici obsecro atq; per salutẽ obtestor, vt placido tecũ cõsideres animo,

quod

quod dudũ tuis sarcasmis nobis insultás exprobrabas, an istud D. Pauli ad Thessalonicenses capitulum, tenete traditiones siue per epistolam, siue per sermonem, indignum sit argumentum, quod tanquam Achillæam, vti fol. 128. inquiebas, Panopliam Catholici opponunt; non quidem, vti fingis, contra Scripturam pro suis traditionibus; sed pro Apostolicis traditionibus, quæ vnà cum Scriptura Ecclesiis sunt relictæ? Audis enim nunc tuo ex teste irrefragabili D. Irenæo, tantam esse earum
» auctoritatem, vt vel solæ sufficiant veritatem scire volentibus,
» etiam si Apostoli nobis nullas scripturas reliquissent. Nam &
» hoc casu Apostoli Ecclesiis cautum voluerunt. Quia ordinem
» traditionis sequi, ait, oportuisset, quam Apostoli iis tradiderũt,
» quibus commiserunt Ecclesias. In cuius rei confirmationem
» addit, sic ordinatum esse ab Apostolis semper ad hanc succes-
» sorum Apostolicorum traditionem ab Apostolis acceptam re-
» currendum esse, huic enim ordinationi (inquit) assentiũt mul-
» tæ gentes barbarorum, quæ in Christum credunt, scriptam ha
» bentes sine atramento in cordibus salutem, & veterem tradi-
» tionem (nimirum non scriptam; quia eam tantum audierant)
» diligenter custodientes. Hunc D. Irenæi locum verè aureum, pacique Ecclesiasticæ conciliandæ in primis accommodum, si qua par erat diligentia Kemnici ac simili, qua Concilium Tridentinum sub ferulam vocare audebas, examinasses; non illum alterum ex eiusdem Irenæi cap. 1. in nos falsò non minus, quàm falsè detorquere fuisses aggressus.

CAP. XIIII. Alter D. Irenæi locus in Kemnicium verè retorquetur.

POSTEA dicit Irenæus illos esse hęreticos, inquis fol. 84. qui scripturis Apostolicis non assentiantur, & notas hæreticorum his verbis describit cap. 2. Cùm ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertantur Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate; & quia variè sunt dictæ, & quia non possit ex his veritas inueniri, ab his qui nesciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem, vbi per tuum et cætera, D. Irenæi abrumpens verba, exclamas, mirum ni vel parumper (inquis) erubescant Pighius, Lindanus, Andradius, & similes,

Kemnicius per suum et cæt. abrumpens D. Irenæi verba in nos falsò eum detorquet.

» recognoscentes suas voces in hac descriptione! Certè mirum
» Kemnici, qua fronte, quo ore, qua fascinatus larua isthæc D. Irenęi verba in vestros Hęresiarchias, immo Patriarchas dicta,
in nos

in nos nõ erubuiſti deprauare?quæ in nos nõ magis quadrant, ſi verè & genuina ſententia accipiantur, quàm in ipſum Irenæum,aut Polycarpum alióſue traditionis non ſcriptæ teſtes inuictiſſimos. Immo ſi æquo ſub iudice certãdum foret, auſim vel huius capitis periculo contendere in vos veriſſimè maiore ex parte quadrare. Sed anteà paucis loci huius deprauationem abs te ſcelerato cum ſacrilegio perpetratam oſtendemus;mox diſpiciẽdum vtri nam accuſent Scripturas,quaſi non rectè habeant,aut non ſint ex auctoritate. Illos Irenæus dicit hæreticos (inquis) qui ſcripturis Apoſtolicis nõ aſſentiũtur. Primum iſtud Kemnici,tuum adnota peccatum:quo prorſus ſophiſticè ad Scripturas detorques, quod Irenæus de magiſtris dicit SS. Apoſtolis;nullo, vti equidem arbitror, Chryſippæo elẽcho effeceris,vt idem ſint Apoſtoli doctores,& ſcripta Apoſtolica. Cùm igitur diſertè Irenæus de Apoſtolis loquatur (quod ipſe quacunque tandem es fronte aperto codice,non iueris,ſcio,inficias) quónam ore aſſeris hæreticos eum dicere, qui ſcripturis non aſſentiuntur? Iſtud quidem,quod ſanè veriſſimum eſt,niſi ad amarulentam aut potius virulentam Catholicorum ſpectaret criminationem,non meretur magnoperè vllam annotationem:ſed quo fucum maiorem indueret tua captio ſophiſtica ad ſimpliciorum fraudem comparata,huc obtorto collo planiſſima tibi libuit pertrahere D. Irenæi verba. Sed nos veritatis declarandæ cauſa recitabimus ea integra: Et omnes iſti Apoſtoli (inquit libr.3. cap. 1.) vnum Deum factorem cæli & terræ à lege & Prophetis annũciatum, & vnum Chriſtum Filium Dei tradiderunt nobis;quibus ſi quis nõ aſſentit, ſpernit quidem participes Dei,ſpernit & ipſum Chriſtum Dominum, et cæt. Hìc nũc æquus Lector iudicet vtrum D. Irenæus dicat hæreticos eſſe alios, quàm qui Apoſtolis vnum Deum creatorem,& vnum Dei Filium Chriſtum annuntiantibus & Eccleſiæ tradentibus non aſſentiuntur? nõ ergo Irenæus eos perſtringit,qui diuinas cum lege & Prophetis reueriti, atque toto pectore amplexati ſcripturas negant in eiſdem omnia eſſe comprehenſa fidei dogmata;quæ idẽ ex certa Apoſtolorũ traditione palàm docet diſcenda: quemadmodum ex conſequẽtibus eius verbis mox declarabitur. Cùm ergo contra Valentini & Marcionis & Cerinthi aliarumq; Apoſtolicæ Eccleſiæ peſtium

Deprauat D. Irenæi locũ Kemnicius.

Magiſtros Apoſtolos Kemnicius peruertit in Scripturas Apoſtolicas, vt impudentius rideat Catholicos.

diſcipulos ex profeſſo agat,qui per hanc Apoſtolorum doctrinam nefarias ſuas quoque inuehebant traditiones nō ſcriptas, quas Apoſtolis dicebant ignotas; Apoſtolorum ſeſe gloriantes (teſte Irenæo cap.1.)emendatores,& Apoſtolis(inquit cap.2.) ſe eſſe ſapientiores. Hos inquam ſophos Irenæus perſtringens demonſtrat quanta inſania iſti miſeri à ſe ipſi condemnati ſuæ reſiſtant ac repugnent ſaluti,quemadmodum & alij omnes faciunt hæretici. Cùm enim ex ſcripturis arguuntur (inquit ca. 2.)in accuſationem vertuntur ſcripturarum, & quæ ſeq. quas rectè hæreticorum notas ſcribit Kemnicius, ſed in quoſnam conueniant verè ac ipſa re,nunc ſupereſt vt æquus iudicet arbiter.

Miratur glorioſulus iſte couitiator,ni hac in hæreticorū deſcriptione nos noſtras agnoſcimus voces. Quid ita obſecro? Cū ex ſcripturis arguūtur (inquit Irenæus) in Scripturarū cōuertūtur accuſationē: quam notā hæreticorū in nobis vult hærere Kemnicius. Sed obſecro te Kemnici,ad te pauliſper redi. fatigat enim te, vt video, aut veriùs dementatum tranſuerſum agit,ſi non dira maledicendi furia,ſaltem illaudata ἀθυρογλωττία. Nos ne ſcripturas accuſamus, quaſi non rectè habeant, aut quaſi non ſint ex auctoritate? an non omnes,quaſi rectè habeant,nos reuerenter recipimus? an non vniuerſas ex diuina auctoritate recipimus? Iſtius criminis Catholici nullo modo ſumus affines,qui totum diuinarum Scripturarum Canonem citra vllam diſtinctionem aut mutilationem digna reuerentia pietateq; ſuſcipimus, adeò vt de illis cum D. Auguſt. iudicare non audeamus, ſed indubitatiſſimam fidei ac religionis regulam & profiteamur,& incunctanter ſequamur.

Notas hæreticorū à Kēnicio annotatas in Lutheranos verè quadrare,nō in Catholicos.

Quod Confeſſioniſtę Scripturas accuſant quaſi non rectè habeant.

Auguſt. de baptiſ. contra Donatiſt.

Sed nunc,an non vos iſtius re vera ſacrilegi criminis conuincamini rei,paucis venit examinandum. An non vos ſcripturas accuſatis quaſi non rectè habeant,cū plurimas aſſeris fol.274. ſententias in noſtra vetuſtiſſima verſione nouis veſtris humanis doctrinis aduerſaria contra fidem fontium,quos dicis,Græcorum & Hebræorum additas,aut mutilatas,aut etiam mutatas & corruptas? immo expūctas,multiſq; in locis(ais fol.277.) transformatas ad dogmata Pontificia? Sed ad fontes, inquies, reuocandam Scripturam atque corrigendam contendo. Verùm huic diſputationi alibi præluſimus: oſtendentes nō poſſe nunc

Quod variant ſcripturæ,à fontibus Hebræis & Græcis accuſant eas Confeſſioniſtæ, nominatim verò Kēnicius.

nunc temporis post deprauatos manifesta Iudęorum impietate & liquida Græcorum aut potius hæreticorum corruptela fontes in vulgus notos loca malę versionis accusata tutò reuocari: quod vel te Kēnici, si libellos nostros leui velitatione De optimo genere Scripturas interpretādi iam pridem editos pectore candido perlustraris, affirmaturum opinor. Porrò de aliquot voculis obscuriùs, aut minùs propriè atq; emphaticè redditis, non reluctamur, qui illustrentur, suóque genuino reddantur sensui. Cæterùm de dogmatum nunc agitur veritate, quæ ex sacris Christianorum Bibliis ante vestras Euangelicorū corruptelas varias Ecclesiæ Dei notis longoque vsu receptis fidelissimè hauritur. Ad hæc eò progreditur vestra in Scripturas accusatio, vt vulgatæ versionis ea etiam loca rectè habere negetis, quæ vel Paulo teste sunt rectè conuersa: vnde ipsa rectissimè habere demōstramus. Sed reclamat Kemnicius, Paulum errantes illos 70. interpretes secutum errasse: se verò fontes sequi Hebraicos, vnde iuxta Canonum & Hieron. sententiam solida sit petenda Scripturarum veritas. Hinc Psal. 19. legēdum contēdit Kemnicius: In omnem terrā exiuit regula eorum. Audio fontes te iactare: sed vide Kemnici, moneo, ne pro thesauro carbones: ne pro aqua vitæ toxicum haurias, quod scelerarissimi Iudæi & Christianorū & Christi sui in primis hostes suis posteà admiscuêre fontibus, aut deprauatis potiùs instillarūt lacunis: quod vel vnus Psal. 21. locus; Foderūt manus meas; adeò manifestè suo euincit exemplo, vt nullus Christianæ memor professionis sit inficiando. Verùm hac de re alibi oportunius: cuius prolixiorem qui desiderat explicatū, libellos quos De optimo interpretādi scripturas genere scripsimus, cōsulat; vnde perspiciat non esse istis fontibus, neque Hebraicis neque Græcis, qui in studiosorum quidem sunt manibus, aut in vulgus noti, de Scripturarum veritate habendam fidem. Hunc igitur in modum non Catholici, sed vos Euangelici, Kemnici, scripturas accusatis quasi non rectè habeant, vt in præsens illa silentio prætereamus loca, quæ vester noui Euangelij Apostolus Lutherus aut sacrilegè detraxit, aut impiè de suo adtexuit, quò venenatam suam doctrinam aliquo confirmatam ostentaret scripturæ loco. Sed nunc alteram expendamus notam, qua D. Irenæus hæreticos iuxta Kemnicij censuram scripsit

2. Quod non rectè versæ sunt à 70.

Qui 70. accusant, Paulum & Christum accusant.

Vide supra Item Dialogos Dubitantij li. 2.

3. Quod protestantes accusant Scripturas quasi non sint ex auctoritate.

agnoſcendos. Accuſant ſcripturas, inquit, quaſi non ſint ex auctoritate. Iſtam notam in me, & Pighiũ & Andradium Kemnicius (ſed miror qua conſcientia, qua fide) audet detorquere. Vbinam obſecro te Kemnici, hac vſpiam ſumus vſi accuſatione? Vbinam ſcripturas negamus Canonicas? An quia Canonem Conc. Tridentini ſequimur, qui iuxta antiquiſſ. Conciliorum decreta libros aliquot inter Canonicos ſuſcipit, quos antiquitas nõdum omnis receperat? Atqui agitur, an negemus ſcripturas quaſi non ſint authenticæ? Iſtud demonſtratum oportuit. Hoccine eſt Concilium Tridentinum examinare: an eius Patronos filioſq; deuotos maligna vexare calumnia? Sed non euades Kemnici, quin velis nolis agnoſcas non ſolum te nos immeritò calumniatum: ſed huius ipſius criminis nobis falsò obiecti temetipſum etiam teneri reum. Decretũ Conc. Tridentini de ſcripturis Canonicis, quo profitentur ſe omnes reuerenter ſuſcipere ſcripturas, quas toto orbe Catholica Dei Eccleſia iampridem ante annos 1200. habuit Canonicas, cùm oppugnas, an nõ falſi crimine nos accuſas, quòd ſcripturas accuſamus, quaſi non ſint ex auctoritate? aliquam proferto, ſi vales, ſcripturarum portiunculam, quam Catholica non recipit Eccleſia, viceris: noſque & ſacrilegos & hæreticos, & quod voles, euiceris. Iá cùm nos iſtius reos peragere nequeas criminis, qui D. Auguſtinum, vt diximus, alioſque PP. Orthodoxos ſequuti tanta libros Cano. ſuſcipimus reuerentia, vt de iis iudicare non ſuſtineamus; vide Kemnici, vt te de iſthoc ipſo, quod nobis improbè exprobraſti, purges. Prolixa admodum diſputatione contendis non eſſe Canonicas Scripturas, Iudæis hac in parte ſuffragatus, Tobiam, Machabæos, & reliquas. item epiſtolas Iacobi, Iudæ, Petri 2. & 3. Iohannis, ad Hebræos, & Apocalypſim. Quibus omnibus cùm contra Eccleſiæ veteris teſtificationem liquidamque in Conc. Laodiceno, & 3. Africano; item aliis Conciliis vniuerſalibus auctoritatem manifeſtò detrahis Canonicam; an non liquidò conuictus teneris huius criminis, quòd ſcripturas cum hæreticis accuſas, quaſi non ſint ex auctoritate? Atqui id facio (inquies) veteris Eccleſiæ iudicium ſequutus, quæ illas pro indubitatis non habuit: non enim ſine contradictione olim habebantur Canonicæ. A quibuſdam tales non eſſe habitas in confeſſo eſt: ſed quid de illis poſteà

Falſi crimine Kemnicius tenetur.

posteà veneranda Ecclesię Dei Catholicæ decreuit ante annos 1200. auctoritas, tibi non est ignotū. Quod spiritus sancti iudiciū cum miris technis argutisq; sophismatibus, ne improbis dicam calumniis, vexare non sis veritus, vide ne istius temeritatis, immo tuæ cæcæ malignitatis meritas opinione citiùs luas pœnas. non enim cum Tridentini Concil. PP. tibi rixandum; sed cum venerandis Concil. 3. Africani, & Concilij Laodiceni, adeóque Constantinopolitani ferè 200. cum Patribus, immo cum Deo ipso tibi pugnādum fuit: cuius suggestione iam pridem hic Conc. Tridentini Canon est præiudicatus atq; posteris præscriptus. Vide Chronicon D. Prosp.

Sed quàm ingenio tuo candore facias indignum, Kemnici, quòd ista tuo in examine dissimulas, nolo nunc exaggerare: sicuti nec illas in D. Augustinum detorsiones manifestissimaque sophismata commemorare: quibus hîc nō est respondendi locus. Illud verè supra modū sum demiratus, eò deplorādæ profectò cæcitatis te calumniandi studio esse deuolutum, vt scribere non puduerit, Catholicos docere Ecclesiam posse ex falsis scriptis (ais fol. 241.) facere vera; ex veris falsa; ex dubiis & incertis certa; legitima, Canonica. Item Papam Romanū non esse veritum (ais fol. 253.) nouam fabricare scripturam Canonicam. Rursus (fol. 254.) Synodum Tridentinam affirmare ex apocryphis libros se facere Canonicos. Denique Decretales Rom. Pontificum non tantum æquari, sed præponi scripturæ Canonicæ, idque manifestissimo (ais fol. 255.) crimine falsi. Verum nos istas putidas calumnias silentio maluimus obruere, quàm pro merito persequi: quum suamet vanitate omnibus vel mediocriter peritis manifestissima, sese iugulent. Illud verò te per Christum Kemnici obsecramus, vt ad te reuersus Catholicæ Dei Ecclesiæ tā manifesta cum Spiritus sancti contumelia maledicere desinas: sed ex vero citra dissimulationē, citra calumniam omnē cum ea agas, si pio veritatis aut discendæ, aut propugnandæ teneris studio. Cæterùm, quò in viá redeat oratio, satis liquere arbitror, non Catholicos, sed qui se iactant Euangelicos, scripturas accusare, quasi non sint ex auctoritate, qui eas cum Luthero damnant quasi stramineas, aut spiritu Apostolico indignas. Fortè porrò clamabit Kemnicius, vt est inuicto contentionis spiritu insignis, Catholicos non posse

Calūniæ Kemnicij. 1 2 3 4 5 6

Scripturas Lutherani faciunt & dicunt stramineas.

Tertiũ notam hæreticorũ nõ quadrare in Catholicos.

alias D. Irenęi effugere notas, quin priſcis illis hæreticis videantur perſimiles, quòd ſcripturas accuſant quia variè ſunt dictæ, & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab his, qui neſciũt traditionem: non enim per literas traditam illam, ſed per viuam vocem. Hæc quidem criminatio aliquam apud imperitos inueniat veri ſpeciem: quę vltro tamen ſuos in fumos euaneſcet facilè, ſi rem ipſam intueri citra perſonarum acceptionem nõ dedignabuntur. Catholici cùm doceamus non ſolum ſcripturam nobis diuinitus traditam, ſed certum eius etiam ſenſum ab Eccleſia petendum, potiſſimum quando dogma aliquod (veluti de S. Euchariſtia, de Chriſti cum Patre æqualitate, ac Spiritus S. proceſſione) in quæſtionem abripitur, huius criminis niſi per calũniam non poſſumus accuſari, quaſi eas cũ priſcis illis hæreticis infamemus, ceu varias, & non certo ſenſu ex Eccleſiæ iudicio, perpetuóque vet. Patrum conſenſu petendo dictas. Viderint autem aduerſarij quonam pacto ſeſe orbi demonſtrent huius criminationis non eſſe affines: qui eundem verbi Dei locum tam variè laceratum, ſuis pro Dei verbo venditare non deſinunt, tanta contentione, vt ſe mutuò hæreticos pronunciare, adeóque proſcribere non dubitent, vti de Chriſti in S. Euchariſtia præſentia, de Chriſti vbiquitate, & omnipotentia, de libero arbitrio aliiſq; vt modò adiaphora relinquamus intacta. Sed excipiet Kemnicius, Illud ſaltem inficiari non poteſtis Pontificij, quin hac parte priſtinis illis hæreticis eſtis comparandi, quòd & vos illorum exemplo docetis non poſſe ex ſcripturis inueniri veritatem ab his, qui neſciant traditionem; nõ enim per literas dicitis eam traditam, ſed per viuam vocem. Iſtud quidem ſophiſma ad fucum imperitis faciendum aptiſſimè eſt comparatum: ſed qui bona fide D. Irenæi cum verba perſpexerit, tum ſententiam fuerit perſcrutatus, agnoſcet perſpicuè, nihil hæc aduerſum Catholicos valere, qui ex traditione etiam non ſcripta more vet. Patrum veritatem doctrinæ Euangelicæ præter ſcripturas hauriendam docent. Nam D. Irenæus ſuam declarans ſententiam, quam Kemnicius fide non bona diſſimulauit, luculenter diſtinguit inter traditiones viuæ vocis: alias enim à Chriſtianis prædicari, præter diuinas Scripturas ab Apoſtolis per ſucceſſiones (inquit) Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditas: rurſus alias ab hæreticis

...ię traditiones viuæ vocis Catholicorũ, aliæ Gnoſticorũ ſcripturas cõtẽnentiũ, cõtra quos agit Irenæus.

illius

illius sæculi Gnosticis Scripturas contemnentibus iactari traditiones viuæ vocis non ab Apostolis, quibus sese gloriabantur sapientiores: sed à suis magistris Valētino & Marcione aliisq;. Non enim traditiones vrgebant isti Apostolicas, quod nos constanter facimus: sed quas sibi quisque à spiritu somniabat reuelatas: quemadmodum & nunc faciunt Euangelici isti cælestes Prophetæ, Zwencfeldiani, Anabaptistę, aliique Swermeri non pauci. Sapientiam enim illam, de qua Paulus dixit, non huius mūdi loquimur inter perfectos, vnusquisque Gnosticorum, teste Irenæo, dicebat, quam à se ipso inuenit fictionem, vt veritas secundum eos aliquando sit in Valētino, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide. Sed quo elencho Christiani istas Gnosticorum refutarint verè fictitias traditiones, doctrinasque merè humanas, mox declarat D. Irenæus, dum pronunciat vnumquemque istorum à se inuicem dissidentium regulam veritatis deprauantes non confundi seipsos prædicare, non verò Apostolos suæ doctrinæ magistros allegare. Nam hac regula ceu lydio, quod dicitur, lapide, falsas atque commentitias Christiani istorum hæresiarcharum deprehendebant traditiones, quòd nouis ipsorum Traditionibus Christianóque populo inauditis veteres, veréque Apostolicas opponebant traditiones: nō quidem scripto, sed viua ipsorum voce in Ecclesiis relictas. Sic enim subtexuit Irenæus. Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, prouocamus eos, qui aduersantur traditioni; dicunt se non solū Presbyteris, sed Apostolis etiam sapientiores existentes, synceram inuenisse veritatem. Apostolos enim verbis saluatoris legalia admiscuisse: se verò indubitatè & incōtaminatè & syncerè absconditum tenere mysterium: quod quidem impudentissimè est blasphemare suum factorem. euenit itaque neque scripturis, neque traditioni eos consentire. Aduersus tales nobis certamen est, et cæt. Qua ex conclusione D. Irenęi luce meridiana liquet clariùs non solum eum præter Scripturas agnoscere traditiones verè Apostolicas, viua tantum voce Ecclesiis traditas: sed easdē non scriptas etiā se illis opponere nō scriptis traditionibus, quas cōtra Christianā doctrinā prisci hæresiarchæ Gnostici nouas inauditasque Ecclesiis inuehebāt. Verùm non quaslibet ait traditiones fuisse Apostolorū nomine susceptas,

Solida traditionum distinctio petenda ex sua origine.

Nota quod Irenæus & alii primi Christiani hæreticos etiā traditionibus refutabāt, non solis scripturis.

Gnostici neque traditioni, neq; Scripturis consentiebant.

aut à

aut à Christianis contra nouas gnosticorum blasphemias defensas: sed quæ ab Apostolis, inquit, susceptæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custodiűtur. Ad has igitur verè Apostolicas traditiones, sicuti tunc Christiani contra nouas hæreticorum opiniones prouocabant, ad eorumque normam & Canonem noua examinabant, expendebant, iudicabant dogmata: ita & nunc, & hactenus semper Catholica Dei Ecclesia omnes nouas, siue nouatas repugnantium siue oppugnantium hominum diiudicat & diiudicabit doctrinas.

CAP. XV.

Epilog⁹ de fidei Christianæ regula, quæ Scripturis & Apostolicis traditionibus est comprehensa.

HANC regulam igitur fidei Christianæ Scripturis & traditionibus Apostolicis viua voce in Ecclesia traditis cőprehensam cùm sint PP. Conci. Tridentini sequuti; ecquid, obsecro, æquis lectoribus peccasse videbűtur, quòd præter diuinas scripturas, siue potius vnà cum scripturis, etiam Apostolicas non scriptas reuerẽter suscipiunt traditiones? Sic enim D. Irenæus, immo Christiani omnes illa ætate Apostolica Ecclesiis præfecti, Gnosticos non solum scripturis, quas illi accusabant, refutarunt, errorisque conuicerunt: sed traditionibus etiam Apostolicis viua voce per continuas presbyterorum successiones custoditis, quemadmodum vel solus illud D. Irenæi euincit Epilogus. Euenit itaq; eos (Gnosticos inquit) qui & scripturas accusant & traditiones viuæ vocis Apostolicas quasi Apostolis sapientiores rident ac spernunt; neque scripturis, neq; traditioni consentire. Stat ergo firmum, immotum, adeóque tam contra Kẽnicij quàm delectorű Confessionis Augustanę patronorű calumnias inuictum illud fidei Christianæ fundamẽtum à Concilij Tridentini Patribus ad instar veteris Ecclesiæ Apostolicæ iactum siue renouatum, piis omnibus non solum scripturas diuinas & Canonicas: sed traditiones etiam tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari affectu ac reuerenter succipiendas ac venerandas. Vniuersis enim qui Christianum nomen cum dignitate, addo & veritate, tuendum sibi existimant, secundum doctrinam illam D. Pauli tenendę sunt traditiones, quas Christiani initio accepimus siue per epistolam siue per sermonem. Hoc enim Apostolicum mandatum non solùm fidem merebatur aut locum habuit, vti quidam nugantur, donec Canon scriptorum noui Testamẽti esset absolutus;

sed in

ſed in finem vſque ſeculi, donec iſtius mundi non tam ſuo ſenio, aut mole, quàm noſtro vitio ruentis curſus abſoluatur. Iſtud ſuo exemplo docet D. Irenæus Gnoſticos & Scripturis & traditionibus Apoſtolicis non ſcriptis refutans: docet Hieronymus Iouinianum ſimiliter expugnans: docet Baſilius Eunomium eadem panoplia profligans: docet Epiphanius; docet Auguſtinus varia hæreticorum monſtra diuinis ſcripturis venerandiſque Apoſtolorum traditionibus refellens: quorum (vt alios breuitatis cauſſa omittamus) veſtigiis Catholica Chriſti Eccleſia inſiſtens, Apoſtolicum illud depoſitum & ſcripturis & traditionibus nō ſcriptis inuicta propugnat. Vnde acerbis & æquo acrioribus illis cenſoris Kemnicij maledictis putidiſque calumniis aliud nihil effectum eſt, quàm quòd veritas diuino Concilij Tridentini Decreto expoſita, non expugnata, ſed orbi facta eſt illuſtrior. Quòd vel cenſor iſte rigidus ſua ſibi videns nunc erepta, quibus aduerſus matrem ſuam, Catholicam dudum Eccleſiam, armatus ferociter pugnabat, ſtimulante conſcientia cogatur agnoſcere; ac ſe procul dubio de illorum eſſe numero, quibus Spiritus ſanctus exitium interminatus, filij hominum, inquit, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendacium? de quorum numero ſe neget, vbi calumnias illas dudum ex plurimis, quibus pręclarum ſuum Conci. Triden. examen onerare, ac verè contaminare non erubuit, commemoratas veritate demonſtrarit ſubnixas. quod non magis vnquam effecerit, quàm ſuas Confeſſionis atque Apologiæ Auguſtanæ dudum longo catalogo recenſitas calumnias Confeſſioniſtæ aut delecti eorum Patroni orbi probarint. Verùm nunc tempus eſt, vt vela contrahentes in portum nos recipiamus, quo præclaris illis doctrinæ Euangelicæ Antitheſibus examinandis accedamus alacriores.

Ex ſuperioribus igitur liquet, inuictiſſ. C. A. Maximiliane, Catholicos nequaquam in locum S. Scripturæ humanas inuexiſſe traditiones, aut pari pietate cum illa ſuſcipiendas docere traditiones humana auctoritate conſtitutas: ſed eam diuino ſuo honore dignati reuerenter in primis, immo religiosè habent pro certo indubióque diuino Chriſtianę fidei fundamento, ipſamq; totam & inuiolatam amplexati verè ac iuxta ſenſum ab initio traditum intellectam, docent eſſe veram de doctrina iu-

Concluſio huius primi Tomi.

Scriptura eſt fidei fundamentum & iudicij norma, ſed ſenſu ex traditione Apoſtolica petito illuſtrata.

ctrina iudicij normam,cuius ex ſententia aut perſpicua,aut traditionibus certò Apoſtolicis probata omnis error peſtilẽs, aut noxia fidei corruptela ſit refutanda & abolenda. Quemadmodũ & olim S. PP. veteres in Conciliis Oecumenicis ad vnum omnibus,& nuper venerabiles admodum Patres in Concilio Tridentino ex verbo Dei ſcripto, diuina Apoſtolorum traditione, indubiáque orthodoxorum Patrum conſuetudine liquidis Eccleſiæ Catholicæ moribus illuſtrata perſpicuè orbi demonſtrarunt. Euerſo igitur ruinoſo futilique illo Confeſſioniſtarum fundamento,quod totius ſuæ actionis contra Catholicã Chriſti Eccleſiã anhelantibus pulmonibus iacere videbantur;quid ſupereſt niſi vt omnia corruãt? labefactato enim illo ſuo futili ac vaniſſimo fundamento,quod vanitate nixum oſtendimus nõ ſubſiſtere,(quia Catholici neque S. Scripturam contumelioſè ſpreuerunt,neque in eius locum humanas traditiones inuexerunt) conſequitur omnia illa vno lapſu corruere,quæ malè cohærentia ſuperſtruere conabantur. Sic enim deinde colligunt ſuperioribus friuolis ſtaminibus inaniora ſubtexentẽs licia. Qua ex re infinita hactenus,inquiũt, mala & incommoda in Eccleſia extiterunt,& damnum vix reparabile,multi in doctrina errores grauiſſimi,ac dogmata falſa & manifeſtẽ impia,cultus etiam Idololatrici,magicæ ſuperſtitionis pleni,&c. At iſthæc cõuitia ſunt præclari Confeſſioniſtarũ Patroni,non argumenta refutatione digna. Eadem enim facilitate negantur,qua vobis affirmantur. Verùm iſta ſeſe ita apertè & plenè demonſtraturos confidunt ac planum facturos, vt quiuis(aiunt) intelligere poſſit, ſtatus atque ordines qui ſunt Confeſſionis Auguſtanæ,non ſine grauiſſimis,neceſſariis, atq; vrgentibus cauſis non ſolum hoc Concilium Tridentinum,& cætera Pontificia Cõcilia recuſare:ſed etiam (vti in huius cauſæ adtexunt epilogo) neceſſariò ſibi faciundum exiſtimarunt, vt propter Dei gloriam & ſalutem ſuam ſuorumq; diſcederẽt à Papatu,& veritatem agnitam conſtanter adſererent. Iſta blaſphemia ſemel demonſtraturi Anonymi Confeſſioniſtarũ defenſores pollicentur ſeſe primum quidem collatione vtriuſque doctrinæ,puta ſuæ Euãgelicæ,quæ in Eccleſiis (inquiunt) noſtris ſonat,& Catholicæ,quam dictitant conuitij cauſſa Papiſticam,facta,errores Pontificiorum in præcipuis fidei Chriſtianæ

Anonymorum iſtorum patronorum blaſphema cõcluſio refellitur.

ſtianæ articulis ob oculos Lectori poſituros; ordine oſtenſuri quo modo contra manifeſtam Scripturam & Patrum Eccleſię orthodoxæ conſenſum noua & impia dogmata inuexerit Papatus. Pòſt deinde de ſuperſtitionibus atq; Idololatricis & magicis cultibus, quibus Eccleſiam Pontificij contaminarũt, prophanarunt, adulterarunt. Hîc igitur totius controuerſiæ ſtatus eſt, an hæc ſacrilega crimina verè Catholici deſignauerint, nec ne. Nos pernegamus conſtantiſſime; è contrario illi affirmant contentioſiſſime. Sed abiectis hiſce temerè affirmandi atque negandi remoris, abruptaq; verè lignea iſthac contentionum ſerra, præclaras illas atque irrefragabiles, vti quidem opinãtur, aggrediamur expendere rationes, quibus iſtud infandum ſacrilegium Catholicos ſcelerate, nefariè ac impiè perpetraſſe conuincere ſeſe aiunt aduerſarij. Quod ne immodico fiat pij Lectoris faſtidio, hunc laborem interſecabimus, quò ad grauiſſimarum de principibus fidei Chriſtianæ capitibus controuerſiarum arbitrium accedat alacrior.

Tranſitio ad ſecũdum Tomũ: quæ habet eius epitomen atque tractandi methodum.

Finis Tomi primi.